





00 P. 12



U. g. 79, 2

mir dolor per 2 impio darg q m f m i t n a  
ur adare f m i t n a





7a

DISSERTATIONVM  
DE IVRISPRVDENTIAE NATV-  
RA ET PRINCIPIIS  
SECUNDA

De munere & officio Iurispru-  
dentiae & Icti, & in quibus illa ab alijs dif-  
ferat, ibidemq; de legum vera & iusta interpre-  
tatione nec non ceteris muneris Icti

partibus

QUAM

*Diuina annuente gratia,*

PR A E S I D E

IOHANNES STVCKIO  
Icto, Academiae Iuliae p. t. Vice-Rectore  
& Facultatis Iuridicae Seniore & Ordinario, nec  
non Serenissimi Brunsvicensium Ducis Consiliario  
& iudicij Guelphici adfessore &c.

*Publicè defendet*

CHRISTIANVS Behrisch / Leu-  
copetra-Misnicus,

*Ad 10. diem Aprilis*

IN NOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI

HELMAESTADI,

E typographéo LVCII,

Anno clō 13 cXXXIV.





V I R O

*Magnifico, Nobili, Amplissimo, omnigena  
eruditione, Prudentia, multoq; rerum gerendarum  
usu Excellentissimo*

Dn. JOHANNI TIMÆO  
ICto & Oratori celeberrimo, Comiti Pal.  
Cæs. nec non Serenissimi Potentissimiq; Princi-  
pis ac Domini Dn. IOHANNIS GEORGII E-  
lectoris Saxonæ &c. Consiliario Secreto & primario,  
Domino Affini, Patrono & Promotori suo omni ob-  
servantiæ cultu perpetim honorando,

N E C N O N

*Charissimo, æternaq; pietate & filiali affectu vene-  
rando Parenti*

Dn. IOHANNI Pehrishen /  
ejusdem Illustrissimi Electoris Redituum  
Præposito in Weissenfels /

*Exercitium hoc Academicum in debita ob-  
servantia, amoris, gratiq; animi sym-  
bolum officiosè & submissè*


L. M. Q.

Offert & Consecrat

CHRISTIANVS Pehrish.



74



DE IVRIS ET IVRISPRVDEN-  
TIÆ NATVRA ET PRINCIPIIS, EIVS-  
DEMQUE TVM IN SCHOLIS RECTE TRA-  
DENDÆ RATIONE, TVM VERO ET GE-  
NVINO IN FORO VSV,

DISSERTATIO PRIMA.

**D**E varijs juris acceptionibus, Idemq; vt & Iurispru-  
dentia, quid, & quale quid sit.

**R**ostquam Deus ter Opt. maxi-  
mus cœlum & terram crearat, omnesq;  
res additâ suâ cuilibet certâ & distinctâ  
formâ ordinarat, vltimò hominem, vt o-  
mnium rectorem & dominum, ad sui i-  
maginem felicissimâ & verè aureâ conditione formavit,  
adeoq; cum in suo primordio omnium rerum cogniti-  
one ornauit, solùm vt reuerentiam & obedientiam su-  
am erga Deum conditorem suum declararet, (quæ ob-  
seruatio sine dubio futuri cultus diuini pars fuit,) ei præ-  
cepit ne de fructu ligni siue arboris scientiæ boni & ma-  
li, quæ erat in medio paradisi, comederet. Cæterùm  
inuidiâ hostis generis humani, qui ipse ob superbiam &  
ambitionem, honorem filij Dei affectans, de loco bea-  
titudinis in abyssum impietatis depulsus erat, deceptus,  
ambiens & malum cum bono cognoscere, ac veri Do-  
mini imperium detrectans, è domino se seruum fecit, &  
in se omnesq; posteros id quod malum deriuauit. **Ac**  
**A** ita

I.  
Homo ad  
imaginem  
Dei crea-  
tus.

2.  
Primum  
Dei præce-  
ptum.

3.  
Lapsus ge-  
neris hu-  
mani.



ita boni scientia & lumen intelligentiæ, quod ex pura anima mentem illustrabat, ab anima malo infecta planè in tenebras decidit, & veluti cæca cœpit à malo semper in pejus deficere, ætasq; , vt verè cecinit Poëta Venusinus, pejor auis genuit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiore.

4.  
Restitutio  
generis hu-  
manj.

5.  
Summa sa-  
lutis æter-  
næ nemini  
incognita.

6.  
Lex natu-  
ræ.

7.  
Natura ho-  
minis fra-  
gilis & lu-  
brica.

Sola clementia Omnipotentis misericordis Dei lapsæ humanæ naturæ succurrere volens, intrinsecus mentes humanas denuo excitauit & illustrauit, ac extrinsecus præcepta per se & verbi sui nuncios præscripsit, postremò etiam proprium filium misit. Vt ita vera ipsius voluntas, quæq; sint veri cultus diuini & cui-libet ad salutem necessaria neminem latere queat; Satis etiam expedita sit boni & æqui ratio, videlicet vt omnia quæ cogitamus, dicimus & facimus Dei voluntati & mandato quod in dilectione Dei & proximi consistit, consona sint & conueniant.

Sit item lex quædam naturæ nobiscum (vt verè a-  
iunt Plato & Cicero *de legib.*) nata non scripta, non per  
discursum ab externis objectis collecta vel inducta, post  
lapsum de imagine diuina adhuc reliqua, apud omnes  
eadem. omnes obligans & instigans tanquam pædago-  
gus animæ sociatus, non obtemperantes verò, ceu na-  
turale iudicatorium, vti conscientiam vocat Basilus,  
tenens & accusans, imò & ἀναπολογήτες inexcusabiles  
reddens, vt ipse inquit Apostolus Paulus *ad Rom. 1. vers.*  
*19. 20. 23. & c. 2. vers. 14. & 15.* Verùm, vti omnia huma-  
na sunt, fragilis, lubrica & perturbationibus ob diuersi-  
tatem negotiorum valde obnoxia, tum verò quandoq;  
difficile sit hominem aliunde exuere (iung. Francisc. Va-  
lesius *de sacra Philosoph. c. 44.* vbi de duplici voluntate bo-  
na &



na & mala pereleganter discurrent) maximè adminiculo  
aliquo extrinsecus superueniente indigens.

Prouenère itaq; dominationes & Reges delecti  
sunt, quos ad fastigium ejus majestatis, vt inquit Iustinus  
*lib. 1. in princ.* non ambitio popularis sed spectata inter  
bonos moderatio prouehebat, Populus nullis legibus  
tenebatur, Arbitria Principum pro legibus erant, Fines  
que imperij tueri magis quam proferre mos erat.

Et tantùm regibus à subditis tributum est, vt quo-  
rum Fidem spectatam sibi satis & exploratam putarunt,  
eorum liberrimo arbitrio se suaq; omnia commiserint,  
nullis legibus opus esse existimantes. Quodq; similiter  
primis temporibus apud Romanos obtinuisse patet ex  
illo Pomponij, cum *in l. necessarium, 2. §. Et quidem 1. de*  
*Orig. jur.* initio ciuitatis omnia manu regum ait esse gu-  
bernata.

Et quibus verò, quandoq; vt est hominum ingeni-  
um, amicitia multum, nec minus odio & iræ interdum  
tribuerent, sæpè planè in tyrannos abirent, affectibus  
suis plusculum indulgentes, visum fuit, (quamuis verè  
dicat Plato *in Politico fol. (mibi) 185.* Optimum esse non  
leges quidem valere sed hominem prudentem regium-  
que) normam quandam præscribere, secundum quam  
tùm subditi viuerent, tùm illi imperium suum exige-  
rent, ac in vniuersum vesana humanarum cupiditatum  
intemperies coerceretur. Adeoq; leges conditæ sunt,  
quod illæ, vt cæcæ sunt & surdæ, ita omnibus æqualiter  
jura reddant, nihil gratiæ, nihil fauori, nihil odio tri-  
buentes.

De quibus rectè Cicero *pro Cluent.* scribit: vt cor-  
pora nostra sine mente, sic ciuitatem sine lege suis parti-

A 2

bus

8.  
Dominati-  
onum hu-  
manarum  
origo.

9.  
Leges ijs-  
dem vt  
normatū  
regentium  
tū sub-  
ditorum  
superaddi-  
tæ.

10.  
Legum v-  
tilitas ac  
necessitas.



bus nervis ac sanguine vti non posse. Quæq; quo pri-  
mis temporibus simpliciores fuerunt, ita etiam rudibus  
hominum animis vt maximè placuerunt. Verùm cum

11.  
Leges con-  
stituuntur  
generaliter,  
non in  
singulos  
casus.

12.  
In his quæ  
vt pluri-  
mum, non  
quæ ex in-  
opinato  
accidunt.

13.  
Æquum,  
& bonum,  
jure quo-  
dam me-  
lius, & in  
eius in-  
terpreta-  
tione ob-  
seruan-  
dum ad  
instar re-  
gulæ  
Lel-  
biæ.

14.  
Legis in-  
terpreta-  
tio & de-  
claratio  
cujus, &  
vnde desu-  
menda sit.

illæ ferantur super negotijs & actionibus humanis, quæ  
in singulas horas mutantur; ideo in quibus rebus vni-  
uersè & generaliter rectè præcipi non potest, (neq; etiam  
propter vitandam infinitarum aliàs legum confusio-  
nem in singulos casus præcipere iuvat,) in eis id sumit

lex quod plerumq; solet euenire, non ignorans vt ait  
Philosophus *s. Ethicor. c. 10.* Peccatum legis (puta gene-  
ralis) intereaq; nihilominus rectè negotium suum a-  
gens. Quod non culpa, vt addit ibidem Philosophus,  
legis est, neque eius qui legem tulit, sed naturæ re-

rum, vtpote quarum quæ in actionem cadunt hujusmo-  
di planè materia est, ac pergit ibidem: *Cum igitur lege ge-*

*neraliter locuta aliquid euenit postea præter genus illud vniuer-*  
*sum, tunc par est, qua prætermisit aliquid latoꝝ legis & pecca-*  
*uit in eo, quod absolute locutus est: id quod dicit, quodq; omis-*  
*sum est corrigere, quod etiam latoꝝ legis, si illic adesset, ita elo-*  
*queretur, & de quo legem tulisset si præsciuisset. Concludit*

*verò: Itaq; cum jus est æquum bonum tum quodam jure meli-*  
*us. Idq; est quod ait Vlpianus in l. neq; leges 10. ff. de ll.*  
*neq; leges neq; senatusconsulta ita scribi posse, vt o-*

*mnes casus qui quandoq; inciderint comprehendan-*  
*tur, sed sufficere ea quæ plerumq; accidunt contineri,*

*Et ideò, vt in seq. l. 11. habet, de his quæ primo constitu-*  
*untur aut interpretatione aut constitutione optimi*  
*Principis certius statuendum esse; Cumq; juxta l. non pos-*

*sunt. 12. in aliqua causa sententia legum manifesta sit, e-*  
*um qui jurisdictioni præest ad similia procedere, atq; ita*  
*jus dicere debere; item vt habet sequens l. Nam vt ait*

*Pedius. 13. bonam occasionem esse, quoties lege aliquid,*  
*vnum*



unum vel alterum introductum sit, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione vel certè jurisdictione suppleri.

Quæ sanè correctio, moderatio & interpretatio juris scripti ex mente legislatoris non à quouis fieri potest, sed ab illo solùm qui habitum sibi comparavit, quem Ius seu IURISPRUDENTIAM appellamus.

Quod Ius, quæue IURISPRUDENTIA quid & quale quid sit, nec non vnde & quo fluxerit, quæq; ejusdem principia sint, ut sciamus, operæ pretium fore mihi visum fuit, cum ordinarios alioqui labores hodiè mihi pertexere non liceat, ea de re specialem aliquam, breuem tamen, disquisitionem instituere.

Atq; vbi diuersæ occurrunt Celsi & Vlpiani definitiones, & IURIS Celsi in ipso initio Digestorum *in l. iuri* 1. *pr. ff. de i. & r.* quod SIT ARS BONI ET ÆQVI; ac Iurisprudentiæ Vlpiani *in l. iustitia. 10. §. jurisprudentia 2. cod. tit.* quod sit DIVINARVM ATQVE HVMANARVM RERVM NOTITIA, IUSTI ATQVE INIUSTI SCIENTIA.

Quæ siue ad verborum proprietatem, siue quo sensu, quæq; in acceptione Celsus & Vlpianus jus & Iurisprudentiam ita diuersimodè definierint, respiciamus, planè diuersa dicenda videntur. Et quamuis pleriq; *in commentar. & notis ad dd. textus & pr. instit. eod. ibidemq;* VVesenbec. & post illos Heigius *num. 22.* contrarium teneant: Attamen & ipsi fatentur, quod quidem vox Iurisprudentiæ vsum in foro habeat, juris autem vocabulum veteres interdum per artem, interdum per scientiam, nonnunquam per sapientiam definierint *d. l. 1. de justit. & jure & d. l. 2. §. juris civilis scientia 35. ff. de orig. jur.* quodq; Vlpiano *in ista l. 1. de arte, scientia & studio scribere propositum fuerit.* Sicut apud Heig. *d. loc. n. 5.*

A 3

§ 24.

15.  
Scopus &  
intentio  
Auctoris.

16.  
Iuris &  
Iurispru-  
dentia di-  
uersæ defi-  
nitiones.

17.  
Ius & Iu-  
rispruden-  
tia an v-  
num & id-  
em.



§ 24. in fin. clarè videre licet. Quod nihil aliud est,  
 quàm jus referre ad habitus contemplatiuos, siue, vti  
 Plato in *Dialogo de Philosophia* habet, ad Philosophiam  
 contemplatiuam, & jurisprudentiam ad habitus Practi-  
 cos, vel, vti Plato à loco vult, ad Philosophiam actiuam,  
 quæ toto cœlo differunt. Animaduertendum verò ver-  
 bum Ius ambiguum esse, atq; primâ sui impositione si-  
 gnificare idem quod IUSTVM, à natura, hoc est à Deo  
 mentibus hominum inditum, siue diuina quadam pro-  
 uidentia constitutum *S. sed naturalia. 11. Instit. de I. N. G.*  
 & C., cum ipso humano genere proditum *l. quarundam 1.*  
*pr. ff. de acquir. rer. domin.* Vnde & Isidorus *lib. 5. Erymo-*  
*logiar. c. 3.* relatus in *c. jus generale distinct. 1.* illud dictum ait,  
 quaq; in significatione illud non scriptum ad aures, sed  
 inspiratione quadam à mentibus diuinis in mentes hu-  
 manas esse transfusum diximus in *praced.*, & multis de-  
 monstrat Plato in *Politico, Protagora, Critia, lib. 1. de ll.*, vt  
 & Cicero *lib. eod.* ac vide pluribus *infra dissertat. 4.*

18.  
 Iuris voca-  
 bulum ho-  
 monymū.

19.  
 Ius idem  
 quod ius-  
 tum à na-  
 tura men-  
 tibus ho-  
 minum in-  
 ditum, si-  
 ue diuini-  
 tus consti-  
 tutum.

20.

21.  
 Iustum i-  
 dem quod  
 legitimū,  
 quodq; ra-  
 tioni ac  
 legi con-  
 sonum  
 est.

Quod iustum quidem latè sumptum omne illud  
 comprehendit quod legitimum, quodq; rationi ac legi  
 consonum est, & quomodo ideoq; etiam jus rectè dici-  
 mus, quod ad quamcunq; aliam virtutem spectat, iure-  
 que humano jejunia, item iure diuino positiuo Baptis-  
 mum, confessionem, aliaq; similia constituta esse. At  
 quæ acceptio, cum ita homo non vltèrius disponatur  
 quàm in ijs, quæ ei conueniunt secundum se ipsum,  
 quod iustitiæ (quæ æqualitatem quandam importat, &  
 hominem in ijs informat quæ spectant ad alium) non  
 est, huc non pertinet.

22.

Ius idem  
 quod æ-  
 quum.

Strictius autem illud sumptum pro AEQVO, iniquo,  
 quod injuriam inuoluit, opposito, secundum æquali-  
 tatem aliquam, de qua pluribus *infra c. 3.* alteri respon-  
 den-



dente, vt cum debita merces pro impenso seruitio soluitur, quo exemplo vtitur Thom. 2. 2. q. 57. artic. 1. ad iustitiam spectat & huius loci est.

Consequenter non omne quod iustum est, ex fonte iustitiæ profluit, nec statim qui quod iustum agit, secundum iustitiam agere dicitur, nisi quod sibi cum altero, & alteri cum alio commune est, conuenienter distribuatur, non plus sibi, vti ipse Aristoteles s. *Ethicor. 5.* habeat eius quod optabile est, quàm alteri, nec alteri plus quàm alij, contraq; sibi minus damni, plus alteri, sed vtriq; id quod est æquum proportionem, similiterq; alteri quod alij.

Item cum ius siue iustum quod iustitiæ est, æquale quid sit, cui iniuria, vt inæquale, opponitur, Deo autem æquale vel æquiuale siue quod iustum est secundum perfectam rationem reddere nequeamus, illud quod Deo debemus non ius sed fas dicitur *c. omnes leges 1. ibi: Fas lex diuina est, ius lex humana d. distinct. 1.* Nempe fari dignum quod quid excelsius est, quàm iustum Dominic. Soto *de iustit. & iure lib. 3. q. 1. artic. 1. ad fin.*, neq; Deus vltimus ab homine quid desiderat, quàm facere potest, dummodo animam ei totaliter subiciat. Thom. d. artic. 1. ad fin.

Insuper cum æquale tunc quid sit, quando in eo nihil minus aut maius est, illudq; nec superat nec deficit, quod latinis idem est, quod iuxta siue prope rem, secundum illud Salustij: *ciues hostes iuxta metuere, vt omnes mecum iuxta intelligitis*, & quomodo Archiepiscopus Episcopis iuxta se locum assignare dicitur *in c. solita 6. de Majorit. & Obedient.*, nec non veteribus magistratibus pro tribunali cognoscentibus iuxta consiliarij vel ex aduerso in parte primori adsedisse dicuntur Sueton. *in*

*Tiber.*

23.

Ius quod iustitiæ, æquale quid est.

24.

Ius quod Deo debemus non ius sed fas dicitur.

25.

Fas quid excelsius quàm iustum.

26.

Ius dictum Connano quasi quod iuxta sit.



*Tiber.*: hujus loci est illa deriuatio juris quâ illud *Con-*  
*nan. 1. commentar. c. 2.* quod *juxta sit* dictum putat. Cui-  
 que haud leuiter succurrit lectura *Sipontini*, quâ legit  
 iuxta per *st.*, neq; se videre ait qua ratione per *X.* scriba-  
 tur. Et vnde quoq; *Columellæ* justæ operæ, quæ dici  
 sunt æquales.

27.  
 Ius dictum  
 Aristoteli  
 δίκαιον  
 & quare.

Quæ deriuatio vtut fortè paululum longius petita  
 videatur: Attamen non dissimili ratione *Aristotel.* *d. 5.*  
*Ethicor. c. 4.* δίκαιον (quod idem quod iustum vel jus *Do-*  
*minic. Soto de just. & iur. d. lib. 3. q. 1. artic. 1. vers. igitur ut ad*  
*objecta*) q̄s. δίκαιον i. e. in duo æqualia diuisio, perinde ac  
 si δίκαιον dicamus, & iudicē δίκαιον q̄s. bipertientē siue in  
 duo secantem, & μέσσοδικον i. e. medijurium, appellatū ait,  
 vtpote qui duobus inter se dissidentibus medius sit, ei  
 qui plus consequutus fuerit auferens quod addendum  
 ei qui acceperit minus.

29.  
 Ius pro le-  
 gibus siue  
 præceptis  
 quibus  
 proponi-  
 tur, conti-  
 neturæ.

Ab hac verò significatione translatum est vocabu-  
 lum *Ius* ad significandas leges, quibus illud proponi-  
 tur contineturæ, siue naturales, siue gentium siue et-  
 iam ciuiles illæ sint, & ita jus aliud naturale, aliud genti-  
 um, aliud ciuile dicitur, qua de re infra plenius. *Ius*,  
 quasi iustum præcipiens & contrarium prohibens sicuti  
 ait *Gl. in c. lex est 3. distinet. 1. & fac. c. si Ecclesia 42. ad fin.*  
*ibi: quia verò etiam rex est: seruit, leges iusta præcipientes,*  
*& contraria prohibentes conuenienti vigore sanciendo caus. 23.*

30.  
 Donelli „  
 de vera „  
 propria „  
 juris si- „  
 gnificati- „  
 one opi- „  
 nio.

Quâ in acceptione *Donellus 1. comment. c. 3. Iuris*  
*significatio, inquit, propria vna est: cum jus dicitur constitu-*  
*tio iubens pro imperio, qua recta sunt, quomodo intelligitur,*  
*cum dicimus jus esse constitutum, jure quid fieri, juris & equi-*  
*tatis rationem non pati, contra jus esse & similia, vt passim in*  
*libris juris nostri usurpatur: quomodo item dicitur jus nature,*  
*jus ciuile, jus pratorium: tametsi has significationes verbi*  
 1170.



vanquam diuersas & plures videatur Paulus posuisse in l. penult. ff. de justit. & jur. Sed juris hæc species sunt, ne quidem distinctæ & ita distinctæ, ut unum genus non sit aliud. at significatio juris una in omnibus, quâ significatur id quod constitutum est vel à natura, vel à ciuitate, vel à Pratore: secundum quam omnes similiter verbo generis dicuntur jura. Ita Donellus.

At impossibile est, ut illa significatio una propriaq; sit, quâ alia est prior & antiquior. qualis autem juris illa est, quâ in præcedentibus illud pro ipso iusto sumi diximus. Etenim iustum prius est iusto præcipiente, nec per rerum naturam aliter esse potest quàm quod illud, quod præcipit antè sit ac præcipiat. Illiusq; operis iusti quod ratio, uti verè inquit Thomas d. 2. 2. q. 57. artic. 1. determinat, quædam ratio præexistit in mente quasi prudentiæ regula (quam jus siue iustum in superiori acceptione diximus,) quod si in scripturam redigatur primum vocatur lex. Siquidem lex est constitutio scripta secundum Isidorum d. lib. 5. Etymol. c. 3. & d. c. lex est 3. distinct. 1., regula iustorum & iniustorum uti eam ex Chrysippo definit Marcianus in l. Nam & 2. ff. de LL.: idè oq; non ipsum jus propriè loquendo, sed aliqualis ratio juris Thom. d. loc. puta antea in mente constituentis existens.

Lex item siue jus præcipiens iustitiæ quidem regula est, at res præterea summæ prudentiæ, adeoq; consilij, vel potius consultationis, quæ prudentiæ opus est Aristot. 6. Ethicor. c. 8. utrumne videlicet ita statuere, sancire, jubere, præcipere, vetare proficiat nec ne. Unde & definitur virorum prudentium consultum à Papiniano in l. lex est. 1. ff. de ll., & decretum prudentum hominum à Marciano ex Demosthene in d. l. nam & 2. ff. eod. tit. Ius autem pro ipso iusto, uti in superiori nostra accepti-

B

one,

31.  
Redarguitur.

32.  
Iustum prius iusto præcipiente.

33.  
Lex propriè loquendo non ipsum jus, sed ratio juris.

34.  
Lex facultatis consultantis & prudentiæ.

35.  
Lex & iustum uti differant.



36.  
Vocabu-  
lorū deri-  
uationes &  
proprietas  
vnde desu-  
menda.

ōne, sumptum res immediata solius justitiæ est, naturā in mente consultantium existens, etiamsi in modum siue formam legis non jubeatur præcipiaturue. Atqui absurdum proprietatem verborum, neglectā eorum primā impositione, velle desumere ab ex post facto superuenientibus, cum potius illa (quamuis negari non possit & alia præter Etymologiam, de qua Euerhard. *in topic. loc. ab Etymolog. 4. per tot.*, esse, Vnde si fortè de prima rei origine non constet, proprietas sermonis cognosci queat, sicuti refert Bartolus *in l. omnes populi 9. de justit. & jure n. 59.* auctoritatem & definitionem) à prima ista sui impositione detorqueantur ad alia significanda Thom. *d. loc. Molina de justit. & jur. tractat. 1. disputat. 3.* Quodq; & ipse Donellus *d. 1. commentar. jur. c. 4. statim in init.* haud obscure innuit, cum eas nominum deriuationes probat, quæ & origini & rei exprimendæ conueniant.

37.  
Ius qua  
in signifi-  
catione di-  
ctum à ju-  
bendo vel  
jussu.

Et qui quoq; non incommode jus in hac significatione, quā sumitur pro legibus, quibus illud continetur, cum Iacobo Curtio *l. 1. εἰχασῶν c. 1.* & Hieronymo Majoragio *l. 4. miscellan. c. 1.* dictum esse vult à jubendo. Etenim legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire, *l. legis 7. ff. d. ll.*, & secundum ea, quæ juris sunt ciues inter se viuere iubentur *d. l. nam & 2. ff. cod. tit.*; vel à jussu, vt sit jus quasi jussum, jussi nomen per excellentiam obtinens. vtpote in quo præ cæteris præcipua est & efficax cum jubentis potestas tum ipsius legis siue jussi voluntas. Unde & Festus jura qs. jussa dicta adserit, ac Agricola *lib. de inuent dialect.* Ius à jussu per Apocapen deriuat.

Quod verò quandoq; ita jubeat & exequatur in foro quod justitia dicitur in animo seu voluntate, iterum  
mani-



manifestum est jus pro ipso iusto sumptum eo esse prius  
& antiquius, & nomen illud hinc esse translatum ad le-  
ges quibus illud continetur.

Hæc; sunt duæ istæ acceptiones quas indicat Do-  
minicus Soto *in præm. ad libros suos de justit. & jure*, vt &  
*in præm. ad l. 3. singulari* cum juris nomen bifariam vsur-  
pari ait, vno scilicet modo pro eo quod est lex, quam I-  
sidorus *d. l. 5. Etymolog. c. 3.* relatus inter decreta *d. di-*  
*stinct. 1.* intelligat, quando jus dicit generale esse no-  
men, legem autem juris speciem, & altero modo vt ob-  
jectum justitiæ pro æquitate quam justitia in rebus con-  
stituatur. alterutro autem accipiamus modo, ejus notio-  
nem prærequiri. Quibus cum quoq; optimè conue-  
nit illud Icti Pauli *in l. jus pluribus. 11. ff. de justit. & jure*  
quod jus pluribus modis dicatur, & vno modo quod  
semper æquum ac bonum est, vt jus naturale: altero  
quod omnibus aut pluribus in quaq; ciuitate vtile est,  
vt jus ciuile, Nec minus jus rectè appelletur in ciuita-  
te nostra jus honorarium. de quibus infra vbi agitur de  
speciebus juris scripti.

Addit verò & Prætorem quoq; ius reddere dici, et-  
iam cum iniquè decernat, relatione scilicet factâ non ad  
id, quod ita Prætor fecerit, sed ad illud quod Prætorem  
facere conuenerit; Aliaq; item significatione ius dici  
locum, in quo ius reddatur appellatione collata ab eo,  
quod fiat, in eo, vbi fiat, Nec non Marcianus *in seq. l. fin.*  
nonnunquam etiam ius pro necessitudine dici ait, ve-  
luti quod alicui sit ius cognationis vel adfinitatis.

Atq; hoc amplius *jus* pro potestate sumitur, vt  
cum personæ quædam sui, quædam alieni iuris dicun-  
tur *rit. de his quæ sunt sui vel alien. jur.* pro suæ potestatis  
vel in aliena potestate esse *l. nam ciuium 4. ff. Eod. l. in ado*

B 2

ptia.

39.

Iuris acce-  
ptiones ad-  
notatæ à  
Dominico  
Soto.

40.

Iuris di-  
stinctæ ac-  
ceptiones  
ex Icto  
Paulo &  
Marciano.

41.

Pro iure  
naturali.

42.

Pro iure  
ciuili.

43.

Pro decre-  
tis præto-  
ris.

44.

Pro loco  
in quo ius  
redditur.

45.

Pro neces-  
situdine.

46.

Pro potes-  
tate.



47. *ptionibus s. ff. de adopt. l. sic eueniet. 21. ff. ad leg. Iul. de adul-*  
 Pro facultate, *ter.*, pro facultate quam quis ad aliquid habet, vt cum dicitur vti iure suo, suoq; iure agere, pro agere suâ facultate, suâ autoritate: pro re alicuius qualitate, vt cum seruitutes appellantur iura prædiorum *l. summa. 1. §. quædam 1. vers. incorporalis ff. de Rer. diuis. l. quid aliud. 86. ff. de verbor. significat;* pro vniuersitate aliqua rerum iure definita, vti hereditas *in l. nihil est aliud. 24. eod. tit. l. hereditas. 62. de Reg. jur.*, bonorum possessio *in l. bonorum 1. & l. bona. 3. pr. & §. 1. ibi est enim iuris magis quam corporis de bonor. possess. dos à Iasone in rubr. ff. solut. matr. n. 28. Bart. n. 12. & in l. quod dicitur s. ad pr. n. 2. ff. de impens. in res dotal. fact. ibidemq;* Gottofred. *in not. sub lit. K.* definiuntur; Pro eo item quod circa rem vel causam aliquam specialiter & in indiuiduo est constitutum, vtpote cum ius accrescendi, ius protymiseos siue retractus, ius Albinati de quo Conan. *lib. 9. commentar. c. 4. n. 7.*, ius applicationis de quo idem *lib. 2. c. 7. n. 2.* ac Turnæb. *aduersarior. lib. 24. c. 32.*, & iura dicimus quæcunq; alicui in modum priuilegii vel aliâ quæcunq; speciali ratione fuerint tributa, indulta, concessa. Qualesq; acceptiones plures alias passim animaduerrere licet.
48. *seruitutes appellantur iura prædiorum l. summa. 1. §. quædam 1. vers. incorporalis ff. de Rer. diuis. l. quid aliud. 86. ff. de verbor. significat;*  
 Pro rei alicuius qualitate, *pro vniuersitate aliqua rerum iure definita, vti hereditas in l. nihil est aliud. 24. eod. tit. l. hereditas. 62. de Reg. jur.*
49. *bonorum possessio in l. bonorum 1. & l. bona. 3. pr. & §. 1. ibi est enim iuris magis quam corporis de bonor. possess. dos à Iasone in rubr. ff. solut. matr. n. 28. Bart. n. 12. & in l. quod dicitur s. ad pr. n. 2. ff. de impens. in res dotal. fact. ibidemq;*  
 Pro vniuersitate aliqua rerum, *Gottofred. in not. sub lit. K. definiuntur;*
50. *Pro eo item quod circa rem vel causam aliquam specialiter & in indiuiduo est constitutum, vtpote cum ius accrescendi, ius protymiseos siue retractus, ius Albinati de quo Conan. lib. 9. commentar. c. 4. n. 7., ius applicationis de quo idem lib. 2. c. 7. n. 2. ac Turnæb. aduersarior. lib. 24. c. 32., & iura dicimus quæcunq; alicui in modum priuilegii vel aliâ quæcunq; speciali ratione fuerint tributa, indulta, concessa. Qualesq; acceptiones plures alias passim animaduerrere licet.*  
 Pro iure circa rem vel causam aliquam specialiter constituto.
51. *Soli Dominico Soto d. lib. 3. de justit. & iure q. 1. ar. ric. 1. ad fin. ea, quâ ius pro loco in quo Prætorius antiquitus reddidit sumi diximus, non placet. quod quando quis dicatur in iure comparere, eodem modo videatur ius accipi, quo quando dicitur in ius vocari. In ius vocari autem sit iuris experiundi causâ vocari, nempè vt actor rei nomen deferens experiatur an ius sibi patrocinetur. Vbi ius accipiatur pro iure ipso vel pro lege. Ita Soto. Sed quem, cum ita statuere ausus sit, vim*  
 Pro priuilegio.
52. *Soli Dominico Soto d. lib. 3. de justit. & iure q. 1. ar. ric. 1. ad fin. ea, quâ ius pro loco in quo Prætorius antiquitus reddidit sumi diximus, non placet. quod quando quis dicatur in iure comparere, eodem modo videatur ius accipi, quo quando dicitur in ius vocari. In ius vocari autem sit iuris experiundi causâ vocari, nempè vt actor rei nomen deferens experiatur an ius sibi patrocinetur. Vbi ius accipiatur pro iure ipso vel pro lege. Ita Soto. Sed quem, cum ita statuere ausus sit, vim*  
 Dominici Soto error circa acceptionem iuris, quâ sumitur pro loco iuris reddendi.

textus;



rextus Icti Pauli *in l. in jus 1. ff. de in jus vocand.* non intel-  
lexisse & in antiquitate Romana planè puerum fuisse  
neceffe est. Alibi autem demonstrauius, quæstio-  
nes tempore Prætorum alias fuisse iuris, alias facti, il-  
lasq; coram illis in iure, vnde & iuris nomen sortitæ  
sunt, has verò coram iudicibus cognitæ & tractatæ fu-  
isse. Nec mirum ideoq; quod in ius vocare & iuris ex-  
periundi causa à Paulo *in d. l. 1.* coniungantur. At vnde  
planè non sequitur, ius ibidem non designare locum, in  
quo ius reddiderit Prætor, vel in quo coram Prætor  
partes de iure fuerint expertæ. Audiatur potius Domi-  
nicus, quando Paulum minus aptè loquutum esse ait,  
præterea Vlpianum, qui similiter *in l. voluit 4. §. quod ait  
Prætor 1. ff. de interrogat. in iure faciend.* claris & perspicu-  
is verbis ius cum solum locum esse dicit, vbi Prætor iu-  
ris dicendi vel iudicandi gratiâ consistat, vel si domi vel  
in itinere hoc agat, ac ipsum quoq; Iustinianum *in §. o-  
mnium fin. instir. de pæn. remere litigant.* in ius vocare ad e-  
um esse vocare inquentem qui ius dicturus sit. Quare  
etiam ante allegatus titulus inscribitur *de in jus non de in  
iudicium vocando.* Quodq; ex ipsa antiquitate ita mani-  
festum est, vt neminem de eo vltèrius ambigere putem.

Cæterùm quæ acceptiones omnes à iure in alteru-  
tra suprarrelatarum significatione emanarunt. Restat  
autem & alia, eaq; vt maximè præsentis loci, qua illud  
accommodatum est ad significandam DISCIPLINAM  
ARTEM ET PERITIVM QVA IUS COGNOSCITVR, & su-  
pra statim in initio Vlpiano ex Celso *in l. iuri 1. ff. de l. &  
iure* definiebatur Ars æqui & boni, atq; ipsi Vlpiano *in  
l. iustitia 10. §. iurisprudencia 2. ff. eod.* per notitiam & sci-  
entiam, tum Pomponio *in l. necessariam 2. §. iuris civilis.*

B 3

35. de:

53.  
In ius & iur-  
is experi-  
undi causâ  
vocare  
quid.

54.  
Ius pro  
disciplina,  
arte & pe-  
ritia iuris.



35. de origin. iur. per scientiam, ac iterum Vlpiano in l. prafes. 1. §. proinde s. de var. & extraordinar. cognitionib. per sapientiam.

55.  
Angeli  
Thij & za-  
barellæ ju-  
risprudē-  
tia quan-  
dam sim-  
plicē pe-  
ritiā sta-  
tuentium  
error.

Vbi primū notandæ cauillæ Angeli Thij in *praco- gnition. logic.* & Iacobi Zabarellæ Comitis de *natural. sci- entia constit. c. 33.*, quibus jurisprudentiam ajunt simpli- cem quandam esse peritiam, quæ nec scientia sit, nec prudentia, nec ars appellari mereatur, cum sine ratione sit, eamq; etiam callere aliquis possit absq; vlla ciuilis ac legislatorix cognitione.

56.  
Ars Plato-  
ni gemina,  
vnā ad a-  
nimam, al-  
tera ad cor-  
pus perti-  
nent, ac v-  
triusq; spe-  
cies.

Desumpta hæc sunt ex Platone, imo ipsa ferè ver- ba Platonis in *Gorgia* (quem præter Aristotel. *lib. 1. rhe- toric.*, qui nihil ea de re habet, allegat Zabarella.) Qui verò relatis verbis jurisprudentiam planè non intelligit. Sed ibidem in statim præcedentibus cum res duæ sint, & artes geminas esse, vnā ad animam alterā ad corpus per- tinentem, eamq; quæ ad animam pertinet ciuilem dicit, eòq; nomotheticam siue legum conditricem & judici- ariam refert, eam verò quæ corpus curat vno quidem nomine non nominat, at & ejusdem duas constituit par- ticulas gymnasticam & Medicinam, sicq; jurisprudentiæ nequidem meminit. Cæterum adulatoriam, vti quod thema & argumentum est totius istius dialogi, ibidem perstringit, quam, ne dicat artem, vocat peritiam quan- dam, quæ fucō potius quàm jure aliquo legum condi- tricem, judiciariamq; vt & Medicinam & gymnasticam æmulari conetur, ita verò se habere demonstrat, vti se habet coquinaria ad Medicinam, siue coquus ad Medi- cum, si de cibis illos inter se conferre contingat, fuca- trix ad gymnasticam, Sophistica ad nomotheticam & rhetorica ad judiciariam. Quo certè non jurispruden- tia, nec veri ICTi, sed rabulæ forenses notantur, qui, quan-

57.  
Adulatorie  
natura &  
ratio.

58.  
Rabulæ  
non magis



quandoq; non tam iustitiæ quam litigandi vias tradant, sicuti est apud Ciceronem *lib. 1. d. LL.* non magis Icti quam Empirici medici sunt. De quibus quandoq; res ita ferat, notandus, per elegans enim est, locus ejusdem Platonis *l. 11. d. LL. ad fin.* Verum, inquentis, cum multa in vita hominum bona sunt, pluribus eorum quasi quedam dira calamitates insident que maculant illa atq; coinquinant. Iudicialis autem disceptatio iudiciumq; cur homini bonum non est quod humana omnia mansuescit? Atqui cum disceptatio talis bonum sit, cur & adesse in lite alicui, & causa iusta favere bonum non sit? Hæc cum ita sint peruersa calumnia bonum artis subit nomen. qua artificium inuenisse litibus asserit: quo agenda & dicenda, siue honesta, siue turpis sit causa superare facile quis possit: victoresq; facere, quibus ipsa rationibus suis fauet, si pro artis ipsius beneficio pecunia dabitur. Hæc siue ars, siue artis expertis exercitatio quedam sit, danda opera est ne in nostra ciuitate aditum habeat: sed legum verita conditorem nihil aduersus leges proferat: & alio profecta vires suas ostendat. si quis non pareat: hæc lege deterreatur. Si quis iustitiæ vires in animis iudicium in contrarium vertere conetur, ac præter oportunitatem multa litigia mouet, aut mouentibus adest: agat in eum quicumq; voluerit malè agendi aut deniq; defendendi crimine, iudiciumq; huiusmodi apud electos iudices agitetur. Et si damnatus fuerit, discutiatur utrum auaritiâ an ambitiosâ quadam contentione id fecerit. Ac si contentione, certum ipsi iudices tempus præscribant in quo neq; pro se, neq; pro alio ullam agat dicatue causam. Sin autem auaritiâ, peregrinus quidem à regione, nunquam rediturus abito, & si redierit moriturus. Cuius autem si auaritiâ fecisse id deprehendatur quoniam pecuniam tanti fecerit, omninò moriatur. Quod si ambitiosâ contentione bis tale quid fecisse iudicatus fuerit, id ipsum supplicium subeat. Plura qui petit jungere poterit Ammian. Marcellin. *lib. 30.* deq; varijs pestife-

Icti, quam  
Empirici  
medici,

59.

De Rabu-  
lis forensi-  
bus perele-  
gans locus  
Platonis;

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

ce

60.

Rabulari

124



variae ap-  
pellatio-  
nes.

rae istius generis hominum appellationibus Partheni-  
um litigiosum *l. 1. c. 9. n. 30. cum aliquor seqq.* Aliud au-  
tem, uti verè Author *eod. c. 9. n. 42.* concludit, est jurispru-  
dentia, aliud ars rabularia, aliud vera & non fucata phi-  
losophia, aliud sophistica, aliud artificium, aliud male-  
ficium.

61.  
Jurispru-  
dentiam  
scientiam  
dicentium  
error.

E contrario non pauci, & præ aliis Neuizanus *in syl-  
ua nuptiali*, Priminibeus, Chassanæus *de glor. mundi part.*  
*10. considerat. 18. per tot.* undecim distincta argumēta addu-  
cens, & Petrus Gilkenius *peculiari, quem ea de re conscripsit,*  
*tractatu* summo perè laborant ostendere jurisprudenti-  
am esse propriè dictam scientiam. Et versatur quidem  
Ictus circa negotia humana, ut quid in illis justum,  
quidue injustum sit, sciat, ideoq; etiam scire expetit, at  
non propter q̄ scire, siue ut in cognitione acquiescat,  
cùm nec digna ea res sit cui solùm cognoscendæ ope-  
ram det; sed propter q̄ agere non solùm ut sciat quod  
cuiusq; sit, sed etiam ut id quod justum esse videt, cuiq;  
tribuere nouerit. Tùm negotia & facta humana, sub-  
iectum jurisprudentiæ, nunquam sibi sunt similia, sed à  
nutu & arbitrio hominis dependent. Scientia verò nul-  
lum subiectum recipit nisi scientificum, adeoq; est re-  
rum necessariarum & æternarum, quæ semper aut co-  
dem modo se habent, aut consequuntur causas extra ho-  
minis arbitrium positas, idq; solius cognitionis causâ.  
Est enim habitus demonstratiuus quo percipimus con-  
clusiones necessarias per causas suas veras, primas, im-  
mediatas, notiores & priores ipsi conclusionibus Ari-  
stot. *6. Ethicor. c. 3. & 1. poster. Analyt. c. 27.* iung. si placet  
Angel. Mattheac. *de via & ratione iur. lib. 1. c. 8.* ubi ad ar-  
gumenta Chassanæi respondet.

62.  
Icti finis q̄  
agere.

63.

Sed nec intellectus est jurisprudentia; quia non  
est



est habitus quo cognoscimus prima scientiarum principia ex sola terminorum cognitione sine discursu quæ nullo medio confirmari possunt Aristot. *d. 1. poster. Analyt. c. 27.* Ergo nec sapientia, etenim qui habitus ex intellectu principiorum & scientia componitur.

Ad artem fortè videtur propiùs accedere. Vt pote & quæ versatur in rebus contingentibus, seu iis quæ aliter se habere possunt: Verùm quæ externū opus post se relinquit, vt in architectura, agricultura, fabrili, sartoria, sutoria &c. fieri videmus, aut saltem corporis membris operationem exercet, vt in Gymnastica, saltatoria, piscatoria, venatoria (Iung. Plato *in Sophista* omnes artes aut in acquirendo aut in efficiendo versari dicens) accedit. quorum neutrum à Icto fit, qui dum suum cuiq; tribuere intendit, quodue iustum dicit, operationem quidem edit, sed quæ sibi ipsi finis est, & in qua iusti & iniusti discrimen relucet, qualis operatio non effectio nis sed actionis propriè dictæ nomine venit.

Restat, neq; enim plures habituum intellectualium species sunt vid. Aristot. *6. Ethic. c. 3.* Acciaiol. *in Ethic. Aristot. lib. 2 c. 5. n. 29. in med.*, vt sit prudentia, quæ definitur Aristot. *d. 6. Ethic. c. 5.* habitus cum ratione vera coniunctus ad agendum idoneus, in iis occupatus quæ homini bona & mala sunt, cuius ipsa res bene gesta seu perfecta actio, nec alius ab actione finis est.

Sed & ipse Plato *in precedd.* artem civilem legum conditricem & iudiciariam dixit, ac *in Philebo & passim* nomine Artium & scientiarum disciplinas promiscuè indigitat, nec minus ipse Aristoteles artium liberalium meminit. Cicero etiam *1. Tuscul.* artes ad rectam viuendi rationem pertinere, studioq; sapientiæ contineri ait;

C

Et

64.  
Nen Ars;

65.  
Isti operatio nō effectio nis sed actionis.

66.  
Ius & iurisprudencia verè prudentia.

67.  
Ars pro systhemate siue comprehensione præceptorum.



Et in vniuersum Stoici, è quorum scholis vt maximè I-  
 eti nostri prodierunt, vocabulo isto pro collectione  
 comprehensioneq; præceptorū ad scientiæ vel discipli-  
 næ alicuius comparationem necessariorum & vtilium  
 vtuntur. Vnde & Luciano definitur ordo certarum  
 propositionum exercitatione cognitarum ad finem vti-  
 lem aliquem in vita; Aliis cognitionum & comprehen-  
 sionū perpetuarum & ad exitum vitæ humanæ vtilē spe-  
 ctantiū copiosa præceptio; Aliisq; itē rerum humanarū  
 per generalissimū, subalterna & specialissima cōprehen-  
 sio, vel comprehensio præceptorū in rebus æternis pro-  
 priorum & ordine dispositorum ad vtilem vitæ finem  
 spectantium. Quod quidem latius prosequi hīc non  
 vacat, nec opus est. Cum autem negari non possit & jus  
 nostrum ex præceptorum vitæ vtilium collectione, cer-  
 taq; rei per causas cognitione constare; & Vlpiano jus  
 per artem definire placuit, & Pomponius *in præallegata*  
*l. 2. §. juris civilis 35. de Origin. iur.* illud scientiam, vt & i-  
 terum Vlpianus *in l. 1. §. proinde, 5. de var. & extraordinar.*  
*cognition.* illud sapientiam appellarunt. non equidem  
 propriè sed exemplo ipsius Platonis & Aristotelis pin-  
 guius & largius ista vocabula accipientes, videlicet qua-  
 tenus præcepta juris nostri sub doctrinam cadere & di-  
 scendo percipi possunt, quæ nota est scientiæ Aristot.  
*1. analytic. posterior. c. 27. & 6. Ethic. c. 3.* Quare etiam i-  
 dem Vlpianus *in d. l. 1. de I. & Iure §. 2. studii juris,* eius-  
 demq; positionum, & *in modo seqq.* præceptorum ex qui-  
 bus jus collectum sit, meminit. de quibus pluribus *infra,*  
*ibidemq;* de iis quæ ab in hoc plus justo inscitæ redar-  
 guentibus Vlpianum in contrarium adferri solent.

68.  
 Ius & iurif-  
 prudentia  
 Ars, scien-  
 tia & sapi-  
 entia vo-  
 cabulis i-  
 stis largius  
 acceptis.

69.  
 Prudentis  
 Quod huius loci est: Et Prudentiæ vocabulū ex illis ali-  
 quod est, quæ latè patēt; Aliaq; ipsi Aristoteli *6 Ethic. c. 8.*  
 Vni-



Vniuersalis siue vniuersaliū, ea cuiq; præscribens quæ in publicum & commune bonum debent dirigi, toti alicui societati felicitatem concilians, & circa ciuitatem ipsam versans, dicta adeoq; communis, Politica & ciuilis: Aliam verò priuatam vocat, quâ videlicet circa se ipsum & vnum quispiam operatur consonè ad rectam rationem iuxta materiam circa quam agit, vt videlicet fortis temperans, liberalis &c. existat, quam *Φρόνησις* siue prudentiam absolutè appellat, alij monasticam vocant; Atque Politicam siue ciuilem aliam vt Architectonicam & præulem siue Principem, legumlatricem, aliamque iterum particularem constituit, eamque in specie ciuilem (ad discrimen monasticæ siue priuatæ) dicit, ac iterum in consultatiuam & iudiciale diuidit, Et allegatum c. 8. tandem ita concludit: *prudentiam aliam esse familiarem (priuatam & Ethicam intelligens) aliam legumlatricem, aliam ciuilem, atq; huius alteram consultatiuam, alteram iudiciale.*

Alii item priuatam à solitaria distinguunt, solitariam Ethici, & priuatam Oeconomi siue dispensatoris esse dicentes, & ipsam adeoq; practicam diuidentes in solitariam, priuatam & publicam, siue in Ethicam, Oeconomicam & Politicam, vel etiam moralem, dispensatiuam & ciuilem. vid. Hugo de S. Victore *L. 2. erudition. didascalicar. c. 20.*

Plato verò in dialogo quem *Politicum siue de regno inscribit* Ciuilem prudentiam vel scientiam, vt eam appellat, primùm aliquam ponit planè absolutam, totam Reip. gubernationem tenentem, in sola maiestate residentem, dictam inde *βασιλική*, regiam, à nullo alio dependentem, suaq; propriâ autoritate gubernantem *αὐτοκρατορικὴ*, eoq; refert Architectonicam, aliam verò *ἰσοκρατικὴ*

vocabulū  
latè patet.

70.

Alia vniuersalis,  
Politica cū  
uili.

71.

Alia priuata, monastica.

72.

Alia legumlatrix, alia in specie ciuilis, eaq; consultatiua vel iudicialis.

73.

Alia solitaria, alia Oeconomica.

74.

Practica triplex solitaria, priuata & publica.

75.

Prudentiæ diuisio Platonis in regiam, impe-



atoriam,  
oratoriam  
& judicia-  
riam.

76.  
Iudiciaria  
soliis ma-  
gistratus.

77.  
Iurispru-  
dentia dif-  
ferentia  
specifica  
in bono &  
æquo.

78.  
Boni & æ-  
qui verba  
vti suman-  
tur in defi-  
nitione  
juris.

*πρωτοκλω* seu imperantem quidem, sed ad arbitrium illius regie & supremæ, ejusq; tres facit species Imperatoriam præfectorum exercitus, Oratoriam siue Persuasoriam (hodiè in judiciis incognitam) & judiciariam vt legum custodem regieq; ministram, quamq; non longius patere ait, quàm vt circa contractus omnigenos (contractus vocabulo omnia negotia humana includit) quid justum, quid non, consideret, & ad normam legum, quas Rex ipse condidit, respiciens de singulis judicet, propriâ virtute semper adhibita, & per quâ neq; muneribus, nec minis, nec misericordia, nec odio, nec amore legibus transgressis, mutuas accusationes dissoluat. Quod si verum est & judiciaria vel potius juridiciaria solius magistratus erit. quodque siue ad pristinam formam judiciorum quâ magistratum & iudicum munia fuerunt distincta, factiq; & juris quæstiones fuere diuersæ, siue ad hodiernam, qua iudicandi munus penes magistratum residet, respiciamus, negari non potest.

Quorsum ideoq; Iurisprudentia? & quorsum Icti nostri, quodue tandem eorundem erit munus? Hoc demonstrant verba à Celso in definitione juris superaddita *boni & æqui*. quibus differentiâ specificam, quâ iurisprudentia ab aliis prudentiis distinguitur notare & indicare voluit.

Quæ verba Accursius *in not. ad d. l. 1.* malè distinguit, quasi aliud sit æquum aliud bonum. Neq; justius agunt, qui vocabulum *boni* abjiciunt, quasi omne quod æquum est, etiam bonum sit. Est autem, vt inquit Aristot. *5. Ethicor. c. 10. jure quodam melius æquum & bonum, & verò non ita jure quodam melius est, vt sit aliud quoddam juris genus. Sed idem & jus est & æquum bonum: cumq; ambo sint bona, melius est æquum bonum.* Et differunt itaq; jus & æquum bonum non genere. verum inter se: ac vt addit A-  
risto-



Aristotel. *ibid.* quamuis æquum bonum ius sit, non est tamen ius  
lege constitutum aut legitimum: Sed juris legitimi correctio  
ἐπιανόρθωσις νομικῶν δυνάμεων. qua aliquid ei deest. Vocat illud  
æquum bonum ibidem ἰσότης, & ius δὲ δικαιοσύνη.

Quod ius certè, uti inquit Plato in *d. dialog. de regno.*  
non semper optimum atq; rectissimum est, neq; ita ut o-  
mnibus omniq; tempore optimum & iustissimum sit  
præcipi potest. Neq; enim humanarum actionum diffi-  
militudo instabilisq; rerum humanarum conditio per-  
mittit, ut ars vlla simplex quicquam & in vniuersum de  
omnibus perq; omne tempus valens constituere queat.  
Neq; fieri potest ut certus quidam & vniuersum simplex  
que ordo valeat in his quæ varia semper sunt, vniuersum  
di verò nunquam, de qua varietate pluribus Plato *ibid.*  
& *supra in init.* Intellectus noster, ut inquit Thom. *super*  
*d. c. 10. Aristotel.* De quibusdam potest aliquid ve-  
rum dicere in vniuersali, ut in necessarijs, in  
quibus non potest defectus accidere; de qui-  
busdam verò impossibile est ut dicat quid ve-  
rum in vniuersali, ut de contingentibus, de  
quibus etsi aliquid sit verum, ut in pluribus,  
in paucioribus tamen deficit, ut sunt facta hu-  
mana de quibus dantur humanæ leges. Iun-  
gatur omnino Soto *de 1. & 1. lib. 1. q. 6. artic. 1.* vbi ex pro-  
posito contra alios disputat, qui leges in singulari siue  
de singularibus casibus constitui volunt. Oportuit i-  
gitur; uti iterum inquit Aristot. *lib. 3. politicor. c. 7.* quidem  
leges rectè latas summam potestatem, magistratum ve-  
rò siue vnus siue plures sint, eorum potestatem habere,  
de quibus lege caueri exactè non potest.

79.

Ius & æ-  
quum bo-  
num di-  
uersa.

80.

Ius summū  
non sem-  
per opti-  
mum atq;  
rectissi-  
mum.

81.

Ius positi-  
uum vari-  
um & mu-  
tabile.

82.

83.

Leges &  
Magistra-  
tus uti cō-  
currant.

C 3

Et



84.  
Æquum &  
bonum e-  
mendatio  
juris scri-  
pti,

Et hac ratione æquum & bonum emendatio juris scripti dicitur, quatenus videlicet aliter de nonnullis statuit, de quibus lex in vniuersum ferri non potuit, ad quod quidem ut fiat magistratus autoritate, decreto vel plebiscito, ut ait, opus est, & quod quoque exprimit Ictus Vlpian. in supra allegat. l. 12. ff. d. LL. verb. qui iurisdictioni præest ut & seq. l. 13. verb. iurisdictione suppleri. Sed qui in eo absque consilio prudentium nihil agit.

85.  
Et beni-  
gnior juris  
interpreta-  
tio, græcè  
ἡμεῖνδα.

Consequenter verbis boni & æqui Celsus hinc nihil aliud innuit, quam si nulla lex vel etiam nimis generalis extet, eius quod æqui bonique ratio postulat expositionem, humanioremque & benigniorem juris scripti interpretationem, quæ græcè ἡμεῖνδα dicitur, & juri si ad summam seueritatem exigatur, opponitur juxta illud: summum jus summa injuria, in omnibus quidem, maxime tamen in jure & judiciis

86.  
Æquitatis  
semper  
magis ha-  
benda ra-  
tio quam  
stricti ju-  
ris,

spestanda, l. in omnibus 90. de Reg. iur. l. placuit 8. C. de iudic. quæ postulante & à legis verbis & solennibus receditur l. penult. pr. ff. de restit. in integr., in quo genere perniciosè plerumque sub autoritate juris scientiæ errari ait idem Celsus, cujus est præsens nostra definitio, in l. seruum 91. §. sequitur. 3. ff. de verbor. obligat., Cujus verò quod sectator fuerit & quod jus civile ab illa nunquam sejunxerit præ aliis laudatur Seruius Sulpitius. Quamque ut maxime in supremis tribunalibus obseruare conuenit, non quod iis integrum sit aliquid de substanti-  
alibus siue naturalibus judiciorum remittere, vel etiam pro arbitrio contra jus & fas quid statuere, sed quod apices, vel potius anfractus processus siue rituum judiciorum rectè negligant, quodque si aliter definitum constitutum non sit instar regulæ structuræ Lesbicæ, cujus meminit Aristotel. d. 5. Ethic. c. 10. ad fin. pro re nata liberam causarum disceptationem habeant de quo alibi plenius.

87.  
Æquitas  
ut maxime,  
& quous-  
que in su-  
premis tri-  
bunalibus  
attendenda.

Quandoque etiam æquum & bonum, quod Icti alioqui vocant bonam fidem, ut in l. si res. 1. §. venditor. 1. ff. de Act. Empt. l. si domum. 45. §. si hominem 1. ff. locati & passim videre est, in nonnullis negotiis exuberet, hinc illa distinctio contractuum, Actionum, judiciorum bona fidei & stricti iuris. Stricti iuris videlicet, quæ stricto jure vallatæ sunt, & ois ut cum Theophilo

88.  
Bonæ fidei  
appellatio  
in jure  
vnde?

10

89.

10





loquar τῆς ἀκριβείας γίνεσθαι λόγῳ, in quibus iudex ultra se-  
 gem conventionis nihil potest: Bonæ fidei autem, quæ in  
 æquum & bonum sunt concepta *l. eas 8. ff. de Capite minut.*, In  
 quibus alter alteri obligatur de eo quod alterum alteri ex  
 bona fide i. e. ex æquo & bono præstare oportet *l. consensu 2.*  
*§. item in his fin. & l. si quis 5. pr. ff. de Obligat. & act.*, liberaq; per-  
 mittitur iudici potestas ex æquo & bono æstimandi quan-  
 tum auctori præstetur. cujus tantundem in illis iudiciis offi-  
 cium valet, quantum in stipulatione nominatim eius rei fa-  
 ctæ interrogatio *l. quia tantundem 7. ff. de negot. gest. §. in bona fidei*  
*28. instit. de Act.* Unde & formulæ antiquæ: quod dare facere oportet  
 ex bona fide quantum æquius & melius sit dari; Ex fide bona, vel  
 quantum æquius melius; Melius æquius, ut inter bonos benè ager oportet;  
 Ut inter bonos benè ager oportet & sine fraudatione. Qualiaq; sunt  
 omnia negotia διπλόγησιν siue vtrinq; obligatoria. de quibus  
 suo in loco.

Nec hoc hîc prætereundum, quod cum Æquitas siue Æ-  
 quum & bonum nihil aliud sit, quàm mitigatio siue corre-  
 ctio juris scripti imò & ipsa jus sit differens in specie à  
 jure scripto, jus videlicet, uti Aristoteles definit, quod  
 lex scripta prætermisit τὸ γεραιμύδης νόμος ἐλλείμα τὸ πῆα τὸ  
 γεραιμύδρον νόμον δίκαιον, secundum ac in præcedd. dictum:  
 scriptam æquitatem, vocabulo isto genuinè accepto, nullã  
 esse, quicquid etiã alijs, vocabulum illud in longe alio sensu  
 quam illud hujus loci est accipientes, statuunt in contrariũ.

Et quæ de definitione juris ita dicta planè sufficere po-  
 terant. Restat autem altera IURISPRUDENTIÆ Vlpiani in *d.*  
*l. 10. de Instit. & Iure supra relata, quam & ipse Justinianus in tit.*  
*Instit. eod. §. 1. repetere voluit.* Quæq; tum rem consideratam  
 siue materiam & subiectum juris materiale, tum formale si-  
 ue modum considerandi demonstrat. Quod subiectum ma-  
 teriale in Operatricibus disciplinis à fine restringi tanquam  
 à modo considerandi notat Zabarell *de nat. logic. c. 15.* Quod-  
 que absq; omni dubio exhibent *res diuina & humana;* & for-  
 male verba: *Iusti atq; iniusti scientia.* Ut ideoq; lætus circa res  
 humanas & diuinas versetur, quatenus in iis quæritur quid  
 justum

Stricti ju-  
 ris negotia  
 quænam.

90.

Bonæ fidei  
 negotia  
 quænam.

“

“

“

“

“

91.

Æquitas  
 scripta  
 nulla.

92.

Jurispru-  
 dentia de-  
 finitio Vlpiani.

93.

Subiectum  
 Jurispru-  
 dentia res  
 diuina &  
 humana,  
 quatenus



in ijs quæ  
ritur quod  
justum sit,  
aut inju-  
stum.

94.  
Iurispru-  
dentia di-  
uerfa à sa-  
pientia.

95.  
Rerum di-  
uinarum &  
humana-  
rum confi-  
deratio  
quatenus  
Icti.

96.  
Icti est ju-  
stitiam in  
negotia  
obuenien-  
tia intro-  
ducere.

97.  
Ictus non  
qui verba,  
sed vim &  
potestatem  
legum no-  
uit.

justum sit aut injustum, totò cœlo verò à jurisprudentia dif-  
ferat sapientia quam veteres diuinarum atq; humanarum  
scientiam dixerunt, vt est ap. Platon. *in dialog. de Philosophia*,  
Senec. *epist. 89*. Planè item non sit opus transfiguratione ca-  
suum Accursianâ, quâ alterutrum vocabulorum *notitia* vel  
*scientia* in ablatiuo legendum putat; Neq; etiam ei adfenti-  
re possimus, cum verba *humanarum & diuinarum* simpliciter  
& crassè intelligit, ita vt quidem Ictum, vt Ictum, ad illorum  
quæ Theologiæ sunt lectionem non obstrictum esse, attamē  
de diuinis, vt diuinis, specialiter in iure nostro tractari adse-  
rat. Tùm absit vt cum Budæo *in adnotat. ad d. l. i. & Coraf. ad d.*  
*l. 10. de I. & I.* dicamus jurisprudentiam artium circulum, siue  
Orbem illum doctrinæ quem Græci *encyclopediâ* vocant;  
aut cū Antonio Fabro in suo Papiniano negemus hæreticum  
posse esse Ictum. Nouerit quidem Ictus discrimen rerum  
humanarum atq; diuinarum, nouerit etiam quænam hu-  
manæ, quæq; diuinæ sint, & ad quam vtræq; classem perti-  
neant & referantur, eoq; igitur respectu jurisprudentia di-  
uinarum atq; humanarum rerum *notitia Θεῶν καὶ ἀνθρώπων*  
*γνώσις*, vti habet Theophilus, definitur; at cum hoc propri-  
um & formale Icti sit, vt sciat finem jurisprudentiæ, hoc est,  
iustitiam in negotia obuenientia commodè & decenter in-  
troducere, quod nudæ iusti & iniusti cognitionis non est, i-  
deò quoad hoc Vlpianus, & post eū Iustinianus *scientia* voca-  
bulum addiderunt. Sumentes videlicet illud pinguius, sicuti  
in præcedd. in vocabulo artis pluribus est demonstratum.

Atq; ita jam de jurisprudentiæ natura & Icti munere siue  
officio nobis *ὡς ἐν τύπῳ* constat. Vt cū jus sit ars æqui & boni,  
seu habitus, si nihil scriptū dictū reperiarur ipsum æquū &  
bonū suppeditādi, vel leges scriptas ex æquo interpretandi,  
moderandi, in loco etiā supplendi & ad singulares casus pru-  
denter & cautim accommodandi, sanè is dicatur Ictus, non  
qui, vt inquit Celsus *in l. scire 17. ff. de ll.*, verba legum enarrare  
scit, sed qui vim & potestatem earum tenet, id est, nouit ex  
mente legislatoris legē interpretari, explicare & emen-  
dare. De quo nunc proximè videndum.

DISSER-





DISSERTATIO SECUNDA.

DE munere & officio jurisprudentiae & Icti, & in quibus illa ab alijs differat, ibidemq; de legum vera & justa interpretatione nec non ceteris muneris Icti partibus.

**E**Mendare propriè est mendum vel errorem alicuius rei tollere, quod fit authore Quintil. lib. 10. institution. oratoriar. c. 4. adjiciendo, detrahendo vel mutando. Sed & Emendatio est, quâ singula, prout res postulat dirigimus, æstimantes vniuersorum scriptorum sententiam diuersam, vel correctio eorum, quæ per scripturam dictionemve fiunt, autore Diomede. Et emendatio itaq; legis potest fieri dupliciter, (1) tollendo videlicet eam, legemq; mutando quando non est amplius bona & utilis ciuitati, & non tollendo sed emendando ex mente legislatoris, & supplendo in particulari, quando lex vniuersaliter loquitur. Quorum illud Icti non est, sed solius Principis siue eius qui legem condit. Quo sensu Imp. Constantinus in l. inter 1. C. de LL. inter æquitatem jusq; inquit, interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere, & ipse Iustinianus in l. si Imperialis ult. C. eod. si leges condere, ait, soli Imperatori concessum est, & leges interpretari solo dignum imperio esse oportet, ac si quid fortè in legibus obscurius latum fuerit, id ab imperatoria interpretatione pate fieri. Duritiamq; legum ab Imperiali humani-

1.  
Emendare  
quid?

2.  
Emenda-  
tio legis  
duplex.

3.  
Legem im-  
mutare so-  
lius legis-  
latoris.

4.  
Interpre-  
tatio legis  
alia & que-  
nam, solius  
legislato-  
ris.

D tate





tatē in congruum emendari oportere rescripserunt Valentinianus & Martianus *in l. leges 9. C. de ll.*, siq; de nouo jure, quod inueterato vsu non adhuc stabilitum sit, dubitatio emergat, necessariam esse tam suggestionem judicantis, quā sententiæ Principalis auctoritatem Leo & Zeno *in seq. l. cum de nouo 11. C. eod. tit.* Vbi verò lex quid palam definiit, etiam si prædura videatur, ab ea duritie recedere planè non licet, sed solus Princeps siue legislator eam duritiem corrigere potest, sicuti duritiem legis Iulix, de qua *in l. prospexit. 12. §. ipsa igitur. 1. ff. qui & à quib. manumiss.* emendarunt Imp. Theodos. Arcad. & Honor. *in l. in adulterij. 32. C. ad leg. Iul. de Adulter.*

5.  
Alia Icti,  
Magistra-  
tus siue  
iudicantis  
& hodie  
iudicis.

6.  
Prudentū  
interpretatio,  
vt &  
Responſa  
Prudentū  
vnde?

7.  
Edicta Præ-  
torū vnde,  
ceperint  
habere  
vim legis  
atq; inter

At ista emendatio, quæ nihil aliud est, quā interpretatio ex mente legislatoris, quāq; nihil aliud fit quam quod lex commodè existimetur, & æquum bonum ad circumstantias accommodetur, est Icti & magistratus siue iudicantis, & hodiè iudicis. De qua Pedius apud Vlpianum *in l. nam vt ait Pedius 13. ff. d. LL.* quotiens, inquit, lege aliquid vnum vel alterum introductum sit, bonam occasionem esse, cætera quæ tendunt ad eandem vtilitatem, vel interpretatione (quod est Icti) vel iurisdictione (quod est iudicantis siue magistratus, hodiè etiam iudicis) suppleri. Vnde prudentium illa Interpretatio, cuius meminit Pomponius *in l. necessarium. 2. §. his legibus latis 5. de origin. jur.*, Responſa q; Prudentum de quibus *in §. post hunc maximè fin. eiusd. l. 2. & §. responſa prudentum 8. l. de I. N. G. & C.*, ac Edicta Prætorum siue ius honorarium, quod ab honore Prætoris venit *d. l. 2. §. eodem tempore 10. & §. Prætorum quoq; Edicta. 7. Instit. d. tit.*, relata quidem inter species juris scripti, sed cuius vim (etenim Prætor priuati tantum juris disceptator & nudus magistratus fuit vide Aſcan. Pædium 3, Verrin. & iurif-  
pru-



prudentium autoritas, licet Augustus Imp. ijs publicam  
 dederit de iure respondendi potestatem *d.l. 2. §. fin. vers.*  
 & ut obiter sciamus, solum probabilis, nunquam necessa-  
 ria fuit) per se & ex se & non nisi superueniente appro-  
 batione Populi, confirmatione ve Principis aliorum ve  
 jura maiestatis tenentium nancisci non potuerunt.  
 Quare & Praetores potestate tantum precaria edicta sua  
 proposuisse dicuntur, jung. Cuiac. *in recitat. solemn. ad l.*  
*nam & ipsum §. de iustit. & jur. & Bellon. lib. 1. supputat jur.*  
*c. 9.*, & jurisprudentium interpretatio, vti jus sine  
 scripto i.e. moribus videntium receptum, speciali nomi-  
 ne jus civile dicitur Pomponio *in d.l. 2. d. §. 5. & seq. §. 12a*  
*in ciuitate. 12.* jung. Coras. *epistolae. quest. 6.* & Rauard. *lib.*  
*singul. de autorit. prudentum.*

Quamuis etiam sententiae & pronunciata iudicium,  
 si in rem iudicatam transierint, jus inter partes facere  
 dicantur: attamen quandoq; illud a lege conuentionis,  
 qua partes ab initio in iudicium consentiunt, depende-  
 at, in consequentiam trahi nequit, adeoq; nec legis pro-  
 priè dictae appellationem sortiri potest. Et vt verè & ele-  
 ganter inquit Soto *de iustit. & jure lib. 1. q. 6. artic. 1.* sen-  
 tentiae iudicium non leges, sed legum sunt applicationes  
 ad singularia, quae si in iudicatum transierint, non qui-  
 dem jus publicum fiunt, sed quia partibus contra eas ve-  
 nire amplius non licet, quoad eas ad instar legis siue ju-  
 ris constituti habentur.

Sequitur ideoq; oppidò illos hallucinari, qui ipsam  
 legislatariam cum jurisprudentia confundunt, aut eius  
 partem constituunt.

Et Philosophus autè aliùs non nihil rem orditur,  
 neq; enim leges aut jura vnus ciuitatis sed vniuersi ge-  
 neris humani considerat, neq; spectat quae jura iam

D 2

com-

species ju-  
 ris scripti  
 sint relata,

8.

Praetorum  
 potestas in  
 proponen-  
 dis edictis  
 precaria.

9.

Jurispru-  
 dentiū inter-  
 pretatio in  
 specie di-  
 cta jus ci-  
 uile.

10.

Sententiae,  
 Pronunci-  
 ata & De-  
 creta judi-  
 cū vti in: et  
 partes jus  
 faciant.

11.

Non leges  
 sed legum  
 applicatio-  
 nes.

12.

Legislato-  
 ria & juris-  
 prudentia  
 toto coelo  
 diuersa.

13.

Legū con-  
 sideratio



alia Philo-  
phi, Ethici,  
Politici, a-  
lia itē The-  
ologi, & a-  
lia Icti.

composita sint, aut quibus legibus Respublicæ geran-  
tur, sed quibus regi debeant, adeoq; fontes aperit Ethic-  
us, vnde jura omnia & ll. promanari debent, Politicus  
verò leges inter se studiosè confert, ex iisq; quæ huic il-  
live Reip. formæ sint salutare prudenter deligit, aptat,  
magnâ item curâ legem semel latam conseruare studet,  
aut si iniquior sit, quantâ cautione eam abrogare con-  
ueniat docet teste Aristot. 2. politic. 6.

14.  
Jurisprudē-  
tia solius  
judiciariæ.

15.  
Juriscōsul-  
ti & iusdi-  
centis siue  
magistrato-  
& iudicis  
munia to-  
to celo di-  
uisa.

16.  
Icti munus  
quodam.

17.  
Legis par-  
tes due scri-  
ptum, &  
voluntas  
siue sen-  
tentia &  
ratio.

18.  
Ratio &  
mens siue  
voluntas  
legis sem-

Pluresque ita quidem disciplinæ de lege tractant,  
quæq; tamen illarum peculiari ratione, vt & de diuina si-  
ue de lege æterna Dei Theologia agit: Jurisprudētia  
verò ad nullam aliam prudentiæ speciem, quàm ad so-  
lam judiciariam referri potest, non quod Iureconsultus  
ius dicat, siue secundum leges præscriptas reddat, quod  
proprium esse diximus magistratus, hodiè etiam iudicis,  
sed quia quicquid tractat, id omne eò refertur, vt osten-  
dat si nihil fortè de re obueniente neq; legibus, neq; ab  
ipsis priuatis cautum sit, ita ipsum æquum & bonum  
velle, vel ita lege cautum, consuetudineve receptum es-  
se, idq; quia vel verba legis hoc dicant, vel per bonam  
consequentiam inde deduci possit *l. scire leges 17. & l. non  
possunt 12. cum seq. l. 13. §. de ll.*

Videlicet cuiuslibet legis duæ partes sunt, scriptum  
vel verba, & legislatoris voluntas & sententia, legis vis  
& potestas, vt eam vocat Celsus *in d. l. 17.*, eiusdemq; ra-  
tio & anima, prior atq; potentior semper quàm verba si-  
ue vox dicentis vt idem Celsus ait *in l. labeo 7. §. Seruius. 2.  
ad fin. ff. de supellectil. legat.* Verba enim, vt signa conce-  
ptuum dicente Aristotele *lib. de interpret. c. 1.*, voluntati  
inseruire nata sunt, non contra. *ead. l. labeo & l. Diuus 15. §.  
3. ff. de fals.* Sententia verò totum facit, vt sine ea jus non  
sit, quod scriptum est, & hâc admittâ, jus etiam sit de quo  
nihil



nihil verbis fuerit expressum; tantumq; absit vt contra jus faciat, qui à verbis legis recedit, & sententiam sequitur, vt is solus jus seruet & sequatur *d. l. scire leges.*, in legem etiam committat, qui verba legis amplexus contra legis nititur voluntatem, nec pœnas insertas euitet, qui se contra juris sententiam seuâ prærogatiuâ verborum fraudulenter excusat *l. non dubium est 5. C. eod. tit.*

Et litem ideoq; lex non vno eodemq; semper modo habet, sed vti inquit Fabius Quintilian. *lib. 7. institution. oratoriar. c. 6. ad fin. aut propter seipsam. aut propter alteram questionem, aut in scripto aut in voluntate.* & addit *in scripto aut apertum est, aut obscurum, aut ambiguum, nec non eod. lib. 7. c. 7.* peculiarem locum ex scripto & voluntate constituit. Et ipse Cicero. *1. de orator.* controuersias etiam ex scripti interpretatione existere ait, in quo aut ambiguè quid sit scriptum aut contrariè, aut ita vt à sententia scriptum dissideat. Ac iterum Fab. *lib. 3. orator. c. 8.* præterea status ex scripto constituit aliquam speciem legum contrariarum, quæ ἀντινομία nobis dicitur; & scripti & sententiæ & voluntatis, i. e. κτ̄ ῥητὸν ἢ Διάνοιαν & μεταλήψιν secundum dictum voluntatem & translationem; transpositionem; item κτ̄ ῥητὸν — καὶ ὑπεξέρεσιν secundum dictum & exceptionem, συλλογισμὸν ratiuum vel collectiuum, & ambiguitatem siue ἀμφιβολίαν. Consequenter nec vna eademq; semper scripti voluntatisq; erit interpretatio.

Et si lex obueniatur, cuius sententia sit clara & aperta eadem cum verbis; vt si constet legislatorem vti generaliter locutus, velle quoq; legem generaliter intelligi, vtiq; lex sequenda est, ac interpretatio contra manifestam vim verborum facta nihil valet. Adeo vt, sicuti rectè dixit Salomonius *in commentar. ad l. omnes populi 9.*

per potior scripto.

19.  
Lex litem  
"quot mo-  
"dis reci-  
"piat.  
"

20.  
Interpres-  
tatio scri-  
pti volun-  
tatisq; legis  
pro varie-  
tate ipsarū  
controuer-  
siarum di-  
uersa.

21.  
Lex scri-  
pta, cuius sen-  
tentia cla-  
ra & aperta  
est eadem  
cū verbis,  
strictè se-



sequenda, et  
iam si dura  
sit.

*de iustit. & iure.* ne quidem communis opinio efficere  
possit, quod verba dicant id quod non significant, et-  
iam si durum videatur legem scriptam in omnibus casi-  
bus seruari. Vt pote quo casu si contra sententiam le-  
gem restringeremus, jus non explicaremus nec accom-  
modaremus, sed inuerteremus & tolleremus. Quæ in-  
uersio, quæq; juris sublatio vel immutatio soli legisla-  
tori competit. Neq; verò rarò obuenit, vt lex cætero-  
quin æqua subinde videatur iniqua, non quod ratione  
destituatur, sed quod quæ legislatorem mouerit nos la-  
teat iuxta *l. non omnium 20. ff. de ll. iung. Agell. 20. noct. at-  
tic. c. 1.* Cuiac. *8 obs. c. 12.* (vbi illud exemplo *l. liberum 9.  
ff. de religios. & sumptib. funer.*, cum ibidem heredis pro-  
hibiti mortuum inferre actio in factum neq; pœnæ neq;  
vindictæ persecutionem habens denegatur, illustrat) &  
*lib. 17. obs. 15* vbi illud pluribus declarat.

22.

23.

Lex non  
rarò æqua  
etiam si vi-  
deatur ini-  
qua.

Lex non  
rarò æqua  
etiam si vi-  
deatur ini-  
qua.

24.

Lex quot  
modis sit  
ambigua?

Quod si verò sententia legis ambigua sit, siue ver-  
borum singulorum siue totius orationis difficultas ali-  
quam obscuritatem pariat, quia quod scriptum est duas  
pluresve differentes significationes habet, vel in ambas  
partes agi potest *Duar. ad tit. ff. de ll.*, vel in ambas fert  
vias *Coras. in l. ambigua 19. n. 2. ff. eod.*, animaduertendum  
secundum doctrinam Bartoli *in l. omnis 9. n. 58. de iustit. &  
jur.* vtrumne verbum habeat plures significationes pro-  
prias vtrumne vnã propriam, alteram verò impropri-  
am. Illo casu sequendam esse ait, quæ congruat subje-  
ctæ materiæ argumento & exemplo *l. si seruus 50. §. fin.  
de legat. 1. & l. quoties 67 de Regul. jur.* qui textus videantur,  
ideoq; si forte lex data reperiat per verbum fuerit præ-  
teriti & futuri conjunctiui, illud, quandoq; natura legis  
sit futuris dare formam negotiis *l. leges 7. C. de LL.*, intelli-  
gendum esse in futuro; posteriori autem casu sequen-  
dam

25.

Verba le-  
gis ambi-  
gua vti  
interpre-  
tanda.

26.

Legis na-  
tura, futu-  
ris nõ præ-  
teritis dare  
formam  
negotij.

Legis na-  
tura, futu-  
ris nõ præ-  
teritis dare  
formam  
negotij.



dam esse dicit propriam omisâ impropriâ per *l. utilita-*  
*tem 1. §. licet 20. ibi: in re igitur dubia ff. de Exercitor. act. l.*  
*non aliter 69. ff. de legat. 3.* vbi Dd. & Gottofred. Dionys.  
*in not.*, modò ne lex contineat iniquitatem seu absurdi-  
tatem *l. in ambigua. 29.* vbi Dd. *ff. de ll.*, neue communis  
loquendi vsus (vtpote vnde non ex opinionibus singu-  
lorum vocabula exaudiri debent *l. labeo. 8. §. Seruius 2. ff.*  
*de supellectil. legat.*) aliter ferat, neue de mente legistato-  
ris aliter constet. Quæ, siquidem nemo vno sermone  
duo vel plura dicit, vti verè monet Diodorus cui Creno  
cognomentum apud Gell. *lib. 11. Noct. Atticar. c. 12.*, vti a-  
liàs, præ omnibus in ambiguis attendenda est, adeò vt &  
regula sit, quod in illis ejus qui scripsit sententiam spe-  
ctemus, quam pereleganter confirmat Ictus Paulus *in l.*  
*in ambiguo 3. ff. de reb. dub.* in ambiguo cum inquit sermo-  
ne non vtrumq; dicimus, sed id duntaxat quod volu-  
mus. itaq; qui aliud dixit quam vult: neq; id dicit, quod  
vox significat, quia non vult: neq; id quod vult quia id  
non loquitur. Quod vltius explicare hîc non vacat.  
Quod si verò & ipsa intentio legistatoris dubia appare-  
at, id vtiq; sequendum, quod & vtilius argt. *l. si quis in in-*  
*tentione. 66. ff. de judic.*, & æquius siue benignius est juxta  
Celsum *in l. benignius. 18. ff. de LL.*

At si sententia legis planè obscura sit, ita vt quod  
attèdatur & anne quod accidit scripto & ratione seu sen-  
tentia legis comprehendi queat, non appareat, planeq;  
diuersæ siue contrariæ fortè adferantur leges constitui-  
onesve, cessant & iudicis & Icti, quâ tales sunt, partes, & vti  
supra allegatæ leges habent, recurrendum est ad Prin-  
cipem siue ipsum legistatorem, vt is legum ænigmata  
soluat, aperiat *d. l. vlt. C. de ll. & l. non sine s. C. de bon. que*  
*liber.* vbi exemplum diuersarum legum habetur. quoq;

perti-

27.

28.

Loquentis  
& scriben-  
tis mens &  
voluntas  
in aliquo  
sermone  
semper po-  
tior.

29.

Ambigua  
existente  
intentione  
legistato-  
ris quid se-  
quendum.

30.

Legu pla-  
nè obscura-  
rum, vt &  
diuersarū  
siue con-  
trariarum  
interpreta-  
tio peten-  
da ab ipso  
legistato-  
re.



31.  
De Relati-  
onibus ju-  
dicū & in-  
feriorum  
ad superio-  
res anti-  
quis remif-  
siuē.

32.  
Verba le-  
gis ambig-  
ua accō-  
modāda ad  
ejusdē sen-  
tentiam.

33.  
Legis sen-  
tētia à ver-  
bis sine  
scripto,  
quot mo-  
dis diuersa.

34.  
Interpreta-  
tio legis a-  
lia extensi-  
ua, alia re-  
strictiua.

35.  
Extensiua  
quid, &  
quā variē  
dicatur.

36.  
Eiusdem  
exempla.

pertinent relationes iudicum de quibus *in tit. C. de Relationib. & tit. ff. de Appellationib. & relationib.*, ceterum hodie constitutione Nouell. Iustiniana *de iudicib. 125.* antiquata, vt & relationes magistratum Romanorum prisca de quibus Sigon. *de antiq. jure civ. Romanor. lib. 1. c. 20. vers. vt autem duo.*

Iterum si sententia legis aperta & liquida sit, etsi à verbis diuersa, Iudicis & lēti partes sunt, verba ad sententiam accommodare *d. l. scire 17. ff. de ll. & per ea que de præcellentia rationis, vt anima legis, in præced. sunt dicta.*

Diuersa autē est sententia à verbis quoties vel plus sentit ac voluit legislator, vel minus quā verbis expressit: Et alia ideoq; interpretatio extensiuā, alia restrictiuā est & dicitur; ac extensiuā, quā si lex de certis quibusdam casibus aliquid disponat, ex ratione obtinente etiam in aliis casibus, legem quoq; ad hos extendimus & producimus. Quæq; est quam Cicero Ratiocinationem, Fabius Quintilianus *d. lib. 7. orator. institut. c. 9.* Syllogismum, & *lib. 3. c. 4.* genus rationale, item *c. 8.* statum ratiocinatum vel collectiuum, tum & Fortunatianus collectiuum, quod ex eo quod scriptum est, colligamus id quod scriptum non est, vt perinde esse dicamus ac si scriptum esset, appellant. Quò pertinent *l. non possunt 12. l. nam vt ait & l. ideo quia 27. cum similib. alijs ff. de ll. & licet eiusmodi extensionis exempla videre in l. si quis id quod. 7. ff. de iurisdic. pr. instit. de legit. patron. tut. l. ex factō 30. de negot. gest. l. sed etsi 26. ad fin. Ex quib. caus. major. l. quia 11. ff. de prescript. verb. l. illud. 32. pr. ff. ad leg. Aquil. l. lex Julia 4. de fundo dotal. l. sed etsi 25. §. de eo ff. de petit. heredit. l. oratio. 16. ff. de sponsalib. l. vlt. C. de constitut. pecun. & passim. l. Prætor. ait 2. §. hac verba 4. quib. ex caus. in possess. eat. l. rarum a. 13. ff. de solut. l. Quo enim 12. §. Iulianus 2. ff.*

Rod.



rat. rem hab. cum concordant. ibid. Vnde etiam nonnulli  
certos modos quibus modò dicta collectio fiat effor-  
mare tentarunt. Verùm qui haud meliùs aliunde quàm ex  
ipsa mente legislatoris desumuntur. Quàm in jam præced.,  
vt & c. superiori, primum eam esse audiuius, vt quo-  
tiens lege aliquid, vnum aut alterum introductum fue-  
rit, bonâ occasione cætera quæ tendunt ad eandem vti-  
litatem, vel interpretatione vel certè jurisdictione sup-  
pleamus *l. nam vt ait. 13. ff. de ll.*, atq; ad similia produca-  
mus *d. l. non possunt. 12. eod.*, adeò vt regula generalis sit,  
quod vbi eadem ratio, idem etiam sit statuendum *jus d.*  
*l. 32. pr. ad leg. Aquil. & l. vlt. C. de Constitus. pecun.*, quodq;  
paritas rationis etiam in diuersis terminis suadeat simi-  
lia jura *l. vlt. C. de indict. viduit. tollend.*

Præterea verò liquet de mente legislatoris & ex a-  
liis legibus, tum prioribus *l. sed posteriores 28. ff. de ll.*,  
tum posterioribus *l. non est nouum. 26. & l. ideo quia 27. ff. eod.*  
*l. Aiusa vsusq; fin. de Constitus. princip.* prout videlicet  
posteriores leges vel priores informant, quod quidem  
regulare est, vel etiam à prioribus nonnunquam infor-  
mantur, vti hujus rei exemplum extat in lege Falcidia &  
Cornelia *l. lex Falcidia 1. §. lex 1. ff. ad leg. Falcid.* Quod  
quando fit, dicitur jus posterius suscipere interpre-  
tationem passiuam, cum è contrario illud, quod pri-  
us jus informat dicatur recipere interpretationem acti-  
uam. Quoq; item pertinet illud vulgare: quod statu-  
tum (intellige ambiguum vel aliqua ex parte obscurum  
ita vt de ejus mente dubitetur) interpretandum sit se-  
cundum jus commune *l. si serui vestri 2. C. de Noxal. act. l.*  
*fin. §. in computatione C. de jure deliber. c. cum dilectus de Con-*  
*suetud.* Aliàs statuta vt & constitutiones prouinciales  
perfectæ & suis numeris absolutæ, vt & consuetudo c-

37.

Extensio  
interpretationis mo-  
di siue re-  
gulæ.

38.

Ratio vbi  
eadem & i-  
de jus est.

39.

De mente  
legislatoris  
quomodo  
liqueat ex  
aliis legibus

40.

Leges pri-  
ores & pos-  
teriores, &  
posterior-  
es priores  
informant.

41.

Jus quomo-  
do dicatur  
recipere in-  
terpretatio-  
nem tum ac-  
tiuam, tum  
passiuam.

42.

Statuta in-  
terperrada  
secundum jus  
commune

E

an-



43. **Constitu-  
tiones Pro-  
uinciales,  
consuetu-  
do, statuta  
locorum &  
lex cōmu-  
nis si cōcur-  
rant quo-  
modo in-  
terpretan-  
da.** andem vim habent in loco statuentium & constitu-  
entium, quæ legis est in vniuersum, cum lege pari pas-  
su ambulant, & est earum omnium par efficacia & au-  
toritas, si pariter existant. At statutum & constitutio,  
vt & consuetudo posterior vincunt legem priorem con-  
trariam, dubiam interpretantur, & si præter legem datæ  
introducæue fuerint eandem imitantur *d. l. omnes populi.*  
*9 ff. de iustit. & iur. l. cunctos. 1. C. de summa Trinitat. Aut.*  
*Cassa C. d. SS. Eccles. c. 1. & 2. de constitut. in 6. l. de quibus. 32.*  
*ff. d. ll. & l. consuetudinis. 2. C. que sit long. consuetud.* Statu-  
tum itaq; lex & consuetudo posteriora trahunt ad se pri-  
ora, non quod illa semper corrigant & emendant, sed et-  
iam, quod illa vel determinent, id est, restringant, vel sup-  
pleant ampliando & extendendo: Corrigunt priora,  
quæ in eodem casu loquuntur, distinctè verò loquentia  
declarant illa quæ fuerint indistinctè concepta *d. l. non*  
*est nouum 26. cum duab. seqq. ff. de ll. & argt. l. virum. 33.*  
*vers. & puro sequendam ff. de petit. heredit. l. nihil 2. de con-*  
*jung. cum emancipat. liber. l. vnic. verb. leges legibus concor-*  
*dare C. de inoffic. dotib.*

44. **Pactorum  
causa po-  
rior statu-  
tis, consue-  
tudinibus  
& legibus  
communi-  
bus.** Quod si verò pacta, statuta, consuetudines & leges  
communes concurrant, videndum ne analogiam ano-  
malo, de quo Muscul. *de success. conuentional. & anomal in*  
*proem. n. 1.*, regulamve exceptioni de quo Cagnol. *in l.*  
*1. n. 15. de Regul. iur.* præferamus, quamuis illud ordinis  
sit, si attem inspiciamus; sed quasi per quandam *ὑπόπαιον*,  
de qua Andr. Knich. *17. de iur. Saxon. verb. Ducum. c. 2. n. 98.*  
*Magon. decis. Luc. 57. n. 35. & 146. n. 6.* prius inspiciamus  
pacta, statuta, consuetudines, antequam ad Generalem  
nomothesi & prouidentiam legum in iudicando, con-  
sulendo vel decidendo descendamus, argt *l. venditor. 13.*  
*§. si constat. 1. ff. de Aqua & aq. pluui. arc. l. ex quo. 12. §. &*



nos itaq; 1. ad fin C. de AEdific. priuat. Gl. in l. 1 §. si conuenia-  
tur. ff. deposit. Quò pertinet illud vulgare: Gelübd vnd  
Wutühr bricht allerhand Recht / jung. Reichbild art. 24.  
in fin. Gl. in præm. Land Recht n. 9. Zal. in l. communia de  
Re iudicat. Goeden. consil. 7 n. 10. Hartman. Pistor. 2. q. 37.  
n. 10. Iacob Schultes ad tract. Reschitz de dotalit art. 1. n. 19.  
Knich. d. loc. c. 3. n. 60. & de pact. vestiturar. part. 1. c. 1. n. 9.  
cum seqq; quod plenius explicare huius loci non est.

Constat autem præter hæc de mente legislatoris &  
& ex aliis ejusdem legis partibus, puta si vna pars legis  
declaret alteram, quò pertinet illud Celsi, quod inciuile  
sit, nisi totâ lege perspectâ, vnâ aliqua particula eius  
propositâ iudicare vel respondere in l. inciuile 24. ff. de ll.;  
vel si casui alicui speciali exempli & rei illustrandæ gra-  
tia adducto subjungantur verba decisoria generalia, cu-  
jus exempla sunt in l. si quis muros fin. de diuis. rer. & qualit.  
l. huius edict. 1. in fin. ibi: item si qua alia mihi iusta causa esse  
videbitur ff. ex quib. caus. major l. si tibi 20. ad fin. ff. de reb.  
credit. l. regula est 9. §. fin ff. de jur. & fact. ignorant. quodq;  
vt maxime obuenit in re scriptis Imperatorum.

Liquet etiam de mente legislatoris ex contrariis,  
vt cum lex nominatim in re aliqua quid statuit, intelli-  
gatur in contraria re contrarium velle, vti in l. cum lex.  
22. de ll. l. quæcunq; 1. pr. vers. huius rei ff. de offic. eius cui mand.  
est iurisdic. Vnde argumentum siue locus ille topicus à  
contrario sensu, de quo in specie Eberhard. in Topic.

Liquet item de ea non rarò per consequentias, ita vt  
consequenti prohibito lex omnia illa prohibere videa-  
tur, ex quibus illud consequitur, quæ est prohibitio re-  
mediorum per quæ venit ad extremum. Quæ media  
vt antecedentia suum illud consequens quod apertè  
prohibetur implicitum habent, neq; quid interest re ad

45.

Legis pars  
vna, vti &  
quomodo  
declaret  
alteram.

46.

Mens legis  
certa ex  
contrariis.

47.

De mente  
legis quo-  
modo cõ-  
stet per cõ-  
sequentias.

48.

Prohibito  
consequenti

E 2

quid



& prohibi-  
ta censetur  
media  
quibus ad  
illud per-  
uenitur.

49.  
Prohibitio  
antecedens  
inclusit  
& conse-  
quens.

50.  
Restringeri  
tur si pro-  
hibitio fiat  
habito  
respectu  
principalis,  
et id ipsum  
prohibitum,  
secus si fiat  
solum circa  
viam vel  
modum.

51.  
Interpreta-  
tionis ex-  
tensivæ &  
restrictivæ  
collectionis  
modi a-  
liqui com-  
munes, ali-  
qui etiam  
separati &  
distincti.

quid facias, an obliquâ viâ eodemperuenias. *l. non dubi-  
um est s. C. de ll. c. cum quid una 83 de Regul. jur. in 6.* Exem-  
pla sunt in *l. non si filius familias 7. §. mutui dationem 3 ff. de  
S&T. Macedon. l. si quis integris 7. §. minor. 1 ff. Qui & à quib.  
manumiss. l. si sponsus s. ff. de donat. in vir. & uxor. l. vlt. C. si  
mancip. ita vene. ne prostituat.*

Sed & regula est, quod cum quid prohibetur, pro-  
hibeantur omnia quæ sequuntur ex illo *c. cum prohibetur  
39. de Regul. jur. in 6.* Ut & cōtrario, quod prohibitis extre-  
mis etiam prohibitum censeatur per quod ad illa perve-  
niamus, quam *Gl. in d. c. 39.*, ut & priorem *gl. in d. c. 83.*  
enumeratione aliquot casuum & exemplorum illustrat  
& declarat, ut procedat quidem si prohibitio fiat habi-  
to principaliter respectu ad prohibitum. necessario au-  
tem non concludat si illa solum fiat circa viam vel mo-  
dum. Vti alteri Ecclesiæ alligatus Episcopus quidem  
non eligitur, attamen postulatur; qui iuravit non accu-  
sare, bene denunciat; deponens agens commodati re-  
pellitur, at agens depositi admittitur, & quod similiter  
in cæteris actionibus & juris remediis obtinet.

Atq; ex quibus collectionis modis posteriores so-  
lum obtinent quoad interpretationem extensivam, illi  
verò qui vel ex alia aliqua lege, aut consuetudine, vel ex  
iis quæ in eadem lege vel præcedunt, vel sequuntur, vel  
etiam ex mente legislatoris, ipsave æquitate siue jure na-  
turali, (vnde leges civiles animam & spiritum ducunt, &  
ad cuius conservationem tendunt) desumuntur, restri-  
ctivæ cum extensivæ sunt communes, & haud incon-  
venienter ideoque ab Alberto Bolognetto *intract.  
de leg. æquitate & jure c. 39.*, cum dicit tria illa esse ex  
quibus legis tū restrictio tum suppletio desumi possit,  
conjuncti, & junctim etiam ab ipso ibidem explicati.

Atq;



Atq; extant restrictionis ex alia lege exempla in l. v. v. ff. de petit heredit. & ex alia ejusdem legis parte in l. 1. verb. quod ejus per leges, Senatusconsulta, decreta Principum facere licebit ff. ex quib. caus. major. l. labeo. 7. §. Tubero 1. ff. supellectil. legat; ex ratione item verbis legis siue scripto jure angustiori in l. quamuis 11. de in jus vocand. l. labeo 1. §. si intelligatur. 6. de AEdilit. Edict. l. §. primo 2. §. sed ita 3. ff. ad SC. Vellejan. l. non solum 67. §. de vno. 1. ff. de Ritu nuptiar. l. adigere 6. §. quamuis 2. ff. de jure patronat. l. non eo minus. 14. ibi: non rebus prospere gestis. C. de procuratorib. Ex æquitate siue præscriptio legis naturalis temperamus ac moderamus generaliter & indistinctè scripta quibusdam in causis ejusdem generis iniqua, exemplo legis principalis, vel municipalis siue statuti generaliter quidem detractionem vel deductionem certæ portionis de hereditatibus, legatis, fideicommissis, mortis causa donationibus, rebus vtenfilibus, expeditoriisve, magistratui loci concedentis, at æquiori & veriori interpretum opinione non obtinentis in hereditate ascendentium jung. Rauchbar. part. 1. 2. q. jur. civit. & Saxonie. q. 15. n. 15. cum seqq. Et quomodo generaliter restringuntur omnia, quæcunq; non rectè per legem scriptam generatim definiti potuerunt, quin aliquid amplius fuerit comprehensum, quod à legislatoris mente abhorreat. Quomodo Scævola in l. de accessionibus 14. pr. ff. de divers. temporalib. præscript. de accessionibus potissimum, inquit. nihil in perpetuum neq; generaliter definire possumus, consistunt enim in æquitate. juraq; generaliter & in his constituuntur, quæ, uti in præced. e. diximus, ἴσῃ καὶ ὀλίγον i. e. ut plurimum accidunt, non quæ ἐκ ἀδελφῶν i. e. ex inopinato l. jura 3. cum tribus seqq. ff. d. 11. æquitas autem circa specialia versatur & circumstantias quasq;

E 3

ma:

52.

Restrictio  
nis exēpla  
ex alia le-  
ge, aliāq;  
jusdē legis  
parte.

53.

Ex ratione  
itemq; ipso  
scripto ju-  
re angusti-  
ori.

54.

Ex æquita-  
te siue præ-  
scripto le-  
gis natura-  
lis.

55.

Æquitas  
restringit  
quæcunq;  
jure gene-  
raliter defi-  
niri neque-  
unt.

56.

De Accessi-  
onibus in  
jure nihil  
erti cōsta-  
turum, &  
quæ

57.

Æquitas  
versatur.



circa spe-  
cialia.

58.

Certis re-  
gulis con-  
cludi ne-  
quit.

59.

Ius in cau-  
sa siue fa-  
cto positū;  
& præ va-  
rietate ne-  
gotiorum  
diferfum.

60.

Iura gene-  
raliter, non  
in singulas  
personas  
constitu-  
untur, &  
quare.

maximè respicit *l. bona fides. 31. ff. depositi & l. perspicien-  
dum 11. junct. seq. l. aut facta 16. ff. de pœn.* Certis ac perpe-  
tuis adeoq; regulis concludi, & in scriptum, quanquam  
jus aliquod de casu speciali ad æquitatem redactum pos-  
sit scriptis comprehendi, redigi nequit. Jung. Olden-  
dorp. *in tractatu seu formula inuestiganda actionis.* Sed sæ-  
pè in causa jus est positum, vt verè inquit Alfenus *in l. si  
ex plagis. 52. § in clino capitolio 2 ff. ad leg. Aquil.*, atq; alibi il-  
lud ex re constituendum dicitur *in l. lege Cornelia 1. §. Divus  
1. ff. ad leg. Cornel. de sicar.* Quod verè Soto *de justit. & jure  
q. 6. artic. 1.* non legis scriptæ (quæ cum mensura qua-  
dam, quâ & senes & juvenes, potentes & debiles, sapien-  
tes & ignorantes, quibus infinita negotia contingere  
possunt, viuât, in communi, non vt si talis aut talis occi-  
derit vel tali de causa, aut cū talis circumstātia subfuerit  
capite plectatur, cōstituta, vt vna regula qua artifex plu-  
rimos disponit lapides, plurimis ritè quidē datur, singu-  
lis autē actionibus siue casibus per rerū naturā præscri-  
bi nequit) sed prudentiæ esse dicit, ibidemq; per tot, istū  
articulū probat & confirmat, inter cætera & hoc addens:  
quod sicuti in speculatiuis secundum Platonem qui-  
escendum sit in speciebus, eò quod de singularibus quæ  
cadūca sunt, nulla sit scientia sed experientia: sic & in  
practicis de singularibus quæ fortè accidunt, nulla esse  
possit lex sed prudentia. Quod est quod dicit Vlpianus  
*in l. jura 8 ff. de LL.* jura non in singulas personas sed ge-  
neraliter constitui. Verum de quo plenius dictum *pre-  
ced. c. 1.* & quoad præsens nostrum caput si placet videri  
poterit ap. Donell. *1. commentar. 13.* vbi restrictionis ex  
æquitate exempla plura addit.

61.

Ratione

Planè, quod circa extensiuam interpretationem  
hic adhuc notandum, vbi ratio legis cessat, nullus eil-  
cus



eus esse potest, sed uti vulgaris regula habet: Cessante legis ratione cessat & legis dispositio, non quidem quod ipsa lex antiquetur, ad quod publicâ authoritate opus est, sed quod ea ultra rationem siue intentionem legislatoris non extendatur, exemplo vsucapionis, cuius quidem ratio cessat in rebus Reip. causa absentis, ipsa tamen nihilominus procedit, ut necessariò à Prætoribus inducta fuerit rescissoria *§. rursus §. instit. de Act.*

Et ius ideoq; singulare, quod contra rationem i e. contra regulas juris, *πέρῃ κατ'όνας* Eccloga. d. 1. c. 15. propter aliquam utilitatem solâ autoritate constituentium aliquando constituitur defensore Paulo in *l. ius singulare. 16. de ll.*, non est producendum ad consequentias, idem Paul. in *preced. l. quod. verò contra. 14.* Neq; enim in his quæ contra rationem juris constituuntur, possumus sequi regulam juris, ut verè inquit Ulpianus in *l. in his 15. eod. 111.* Nec mirum, quod statuta, quæ solâ autoritate statuentium nituntur, quale est ne extrahatur frumentum de districtu, extensionem non recipiant, adeoq; nec illud extendatur ad legumina. *de quo alibi.* Multo minus verò eandem admittent quæ verbis fuerint concepta restrictiuis districtiisve exemplo *l. si quis 2. C. de patrib. qui fil. suos distraxer.* & *l. frater 1. ibi nam voluntas militis C. de restam. milit.* Ut rectè concludamus cum Baldo, statutum, quod patruus in successione excludat matrem, non esse extendendum ad patrum magnum, *jung. l. si mater. 1. C. de successor. Edict;* nec statutum ne mulier testetur sine consensu propinquorum, extendendū esse ad hermophroditos. uti nec quod primogenitus in feudis solū succedat ad bona allodialia. Cuiusq; rei & hæc ratio esse potest, quod statuta eiusmodi sint maxima ex parte odiosa, quæ corrigenda non ampli-

legis cessante, extensionis nullus locus.

62.

Ius singulare non recipit interpretationem extensionem.

63.

Statuta non extendenda.



plianda. *c. odia de Reg. jur. in 6. & exemplo l. sicut 1. §. quare 3. ibi: ratumq; esse debet quod deminutum est quamuis is nascatur qui repellitur ff. de Ventre in possess. mittend.*

64.  
Nec consuetudo.

Proinde nec consuetudo siue jus non scriptum, pendet enim à solis moribus vrentium, vltterius ac illis fuerit receptum extendi poterit, sed stricti illa juris est, & ad instar actuum practicorum, quo nomine eam indigitat Bald. *in l. quicumq; C. de serv. fugitiv. & in c. 1. qui feud. dar. poss.* ad vnguem seruanda est. Multo minus privilegiorum vti legum priuatarum quæ in particulari dantur, aliqua extensio erit, exemplo latarum de imperio Cn. Pompei, de reditu Cicronis, de cæde Clodij quas refert Gell. *lib. 10. c. 20.*

65.  
Neq; privilegia.

66.  
Ictorum muneris partes diuersæ.

67.  
Prima eaq; in interpretatione legum publica.

68.  
Secunda in interpretatione legum pactio-  
num vltimar.  
voluntariu  
priuata.

69.  
Tertia in

Atq; hæc muneris Ictorum Romanorum veterum præcipua, imò longè prima ac præstantissima pars fuit, inde ad illos qui iure Romano viuunt & vtuntur, & sic etiam ad nos deriuata, qua ratione ipse Cicero *1. de ll. jus in mente sapientis rationeq; esse positum, eamq; verissimam esse juris atq; injuriæ regulam scripsit, & de arte Rhetoric. lib. 2.* cum statum negotialem definiisset, in quo quid juris ex ciuili more & æquitate sit consideretur, addidit ei diligentia apud Romanos Ictos præesse existimari. Ac quomodo Ictos non solum priuatim, sed etiam in commune siue in publicum respondisse liquet, ac hodiernum si res ita ferat consulimus. Præterea verò (2) & ea pars non ignobilis fuit Ictorum Romanorum, & hodiernum nostra est, vt & legum & pactio-  
num siue  
conventionum, & vltimarum voluntatum, si quæ fortè obscuriores obuenerint, sententias priuatim fuerint interpretati; tum vt (3) formulas litigandi, actionumq; rerum vt tum judicialium tum extrajudicialium concipi-

pe-



perent præscriberentq; , sicuti de judicialibus constat *ex tit. C. de formul. & impetrat. sublat.* & de extrajudicialibus sponsaliorum, adoptionis, emancipationis, testamentorum, cretionis & quæ sunt ejus generis alia, ex Cicerone passim, Seruilio *in l. Lucius Titius. 88. de legat. 2.* & nouissimè Barnab. Briffon. *tract. de formul.*, Et deniq; vt circa conscriptionem pactio- num, testamentorumq; , aliàsq; consulti consulenti- bus cauerent, i.e. consilium darent, juxta illud Plau- ti *in Epidico: Nec poterit cauere rectè, jura qui & leges di- dicit* Et Cic. *lib. 7. Epistola ad Trebat. Ictum. Tu qui ca- teris cauere didicisti in Britannia ne ab essedario decipiaris caueo.* quodq; pluribus declarat Briffon. *de verbor. significat. in verb. cauere.*

Quas partes muneris Ictorum non minus ele- ganter quàm verè conjunxit Cicero *1. de orator. Ictum* definiens qui legum & consuetudinis ejus, qua priua- ti in ciuitate vruntur, & ad respondendum & ad agen- dum & ad cauendum peritus sit. Quamuis non de- sint, qui eam definitionem, quasi eum solum conti- neat, qui de jure jam certo & vel scripto vel moribus constituto respondeat, imperfectitudinis arguunt. Verùm qui non animaduertunt & illum de jure re- spondere, qui vbi lex nulla scripta extat quid a qui bo- niq; ratio postulat exponit. Quo posito illa definitio omnes muneris Icti partes comprehendit, adeoq; in- sufficientiæ malè arguitur.

Quarum partium autem duæ posteriores, vti per se patet, fori sunt, Nec non primam ipse Pom- ponius quoque ad forum refert, cum *in l. necessarium 2. §. his legibus s. de origin. jur.* legibus latis capisse ait, vt interpretatio desiderarit prudentium autoritate

70.

Quarta in consulendo siue cō- silio sup- pedinando de iure quærenti- bus.

71.

Ictus quid Ciceroni.

72.

Ictus in o- mnibus sui muneris partibus deseruiat foro.

F

nc.



necessariam esse disputationem fori. *Prudentium au-*  
*thoritate.* & multarum enim rerum memoriam & plu-  
 rium negotiorum vsum disputatio illa teste Cicero-  
 ne desiderat. Neque ambitione & philautia aliqui ducti  
 obreperent, autoritatis siue venerationis alicuius  
 (per quam à majoribus in aliquo prudentia declarata  
 fuit) esse voluerunt eos qui rem tantam sibi sume-  
 rent, à quibus tanquam juris custodibus iudices, arbi-  
 tri, ciuesque quid æquum bonumque esset vsu ita  
 veniente exquirerent. Imò omnis Interpretatio in  
 jure, nisi deferuiat foro, hoc est nisi interpretes ad-  
 dat quid fortè mutatum, quid abolitum, quid sub-  
 stitutum, quid iterum antiquatum, quid denique  
 recenter constitutum, introductum receptumve sit,  
 planè inutilis & perniciosa est. Adeoq; & illa, quam  
 secundam muneris lictorum partem posuimus, fori  
 esse rectè dicitur. Quodq; si iterum ad veteres Roma-  
 norum mores respiciamus verissimum, quibus ipsi  
 non uti Græci, sicuti de Solone, Lycurgo & Zaleuco  
 refert Tacitus *14 epistol.*, in Pythagoræ tacito illo san-  
 ctioq; secessu, sed in foro vel in consultorum atrio jura  
 didicerunt, eademq; professi sunt non in scholis sic-  
 uti Philosophi, vel domi datâ operâ, sepositoq; tem-  
 pore, sed eâdem horâ, qua consultoribus responde-  
 runt simul Auditores instituerunt, juxta illud Cice-  
 ronis: *Alteros enim (lictos intelligit) respondentes audire*  
*sat erat, ut ij qui docerent nullum sibi ad eam rem tempus i-*  
*psi seponerent, sed eadem tempore & dissentientibus satisfa-*  
*cerent & consulentibus.* Cæterum qui mos juris inter-  
 pretandi siue juris scientiam profitendi docendi & dis-  
 cendi, postquam jus nostrum in ordinem aliquem re-  
 digi coepit, cum ipsis Romanis interijt, jusq; profiten-  
 di

73.  
 Iuris do-  
 cendi & de  
 jure respõ-  
 dendi mos  
 & ratio an-  
 tiqua.

74.  
 Mos & ra-  
 tio item  
 hodierna.



di seu interpretandi facultas solum illis hodie com-  
petit, qui eo nomine scholis publicis peculiariter  
præficiuntur, quibus quidem & facultas de jure pub-  
licè respondendi, omniaq; cætera quæ Icti apud Ro-  
manos fuisse & hodiernum esse diximus competunt,  
atqui formularum conceptiones, pactionumq; & te-  
stamentorum conscriptiones iis potissimum relin-  
quunt, qui in foro versantur, & ex professo sese pri-  
uatorum negotiis, rebusq; agendis interponunt, di-  
cti exinde nobis pragmatici siue practicantes, quasi  
negotiosi & formularij, ad exemplum Græcorum qui  
suos juris interpretes in tam exili & tenui opera com-  
sumi voluerunt, vt actionibus, formulis, cautionibus  
que tantum præessent, adeoq; Pragmaticos Fab. lib. 3.  
c. 8., vt qui juris ignorantes monebant, iisdemq; juris  
responsa ac formulas subministrabant, quasi admoni-  
tores, hodiè aduocatorum posticos dicendorumq;  
suggestores, cum ad juris disceptationem ventum e-  
rat, dixerunt. De quibus iterum Fabius institution.  
oratoriar. lib. 12. c. 3. *Neg, ego sum, inquit, nostri moris igna-*  
*rus, oblitusve eorum, qui velut ad arculas sedent, & tela a-*  
*gentibus subministrant, neq; idem Græcos quoq; nescio facti-*  
*rasse, unde nomen his pragmaticorum datum est.* Jung. Got-  
t. fred. Dionys. in not. ad l. moris. §. nonnunquam 4. ff. de  
pen. illis ibidem quoad interdictionem causidicos  
rabularios siue ramularios, vt nonnulli legunt, adjun-

gens.  
Quod genus hominum vti plerunq; seruire for-  
didum est, numariumq; præmium vnicum laboris  
sui finem existimat, verbis illis vulgaribus veluti  
proprio oblectans objecto:

E 2

D 41

75.

Profiten-  
tium jus  
& facultas  
in scholis  
hodie que-  
nam.

76.

Pragmati-  
ci siue Pra-  
cticantes  
quinam, &  
vnde hoc  
nomen  
venerit.

77.

Rabulari-  
& causidi-  
corum ge-  
nus, sordi-  
dum, & Je-  
testadunt.



*Dat Galenus opes, dat sanctio Iustiniana:*

*Ex illis paleas ex istis collige grana.*

*Stat Galenus eques, gemmis præcinctus & auro:*

*Plato pedes peditem ducit Aristotelem:*

absq; omni dubio jurisprudentiæ, rei profectò, vt verè inquit Vlpianus *in l. præses i. §. proinde s. de var. & extraordinar. cognit.* sanctissimæ, pretio nūmario non æstimandæ nec dehonestandæ, hanc maculam adspersit, vt hodie à plerisq; magis pro quæstuarîa, quàm pro vera ciuilibus prudentiæ parte habeatur.

78:

Salus & tranquillitas publica finis veræ iustitiæ & æquitatis extremus & vltimus.

Nos eam solùm dicimus iustitiã & æquitatem, quam vt vmbra corpus, sicuti pereleg. loquitur Angelus Mattheatus *de via & ratione juris.*, sequitur hominum salus & tranquillitas publica. Quæ quidem secundum Aristot. *i. ad Nicomach. c. 1.* rectè dicitur finis ciuilibus prudentiæ, reliquarum facultatum longè Principis ac dominæ, cæterisque imperantis de

79.

Ciuilibus prudentia omnium reliquarum facultatum princeps ac domina.

qua *supr. c. 1. in explicat. verbi prudentia.* Verùm cum ea, (verba sunt ipsius Aristotelis *cod. c. 2.*) reliquis omnibus artibus quæ in actione versantur vtatur, legibusque latis quid agendum & quid abstinendum sit præscribat, atq; ita eius fine reliquarum artium fines contineri fatendum sit, non mirum quod in vno omnes illæ fine concurrant, Et qui adeoq; quia principem

80.

Jurisprudentiæ finis proximus iustitia.

locum obtinet; cæterorum, vt qui huius causa quoq; expetuntur, summus est, & ad quem, vt præcipuum scopum & metam, cum non omnes vnâ viâ, sed diuersis perueniant, ideò quis & jurisprudentiæ proximus finis sit, videndum. In quem inquirens Cicero.

„ *i. de Oratore* : Omnia ferè, pereleganter inquit, quæ sunt conclusa nunc artibus dispersa & dissipata quondam fuerunt: vt in Musicis numeri & voces, & modi:

In.



In Geometria lineamenta, formæ, interualla, magni-  
tudines: In Astrologia cœli concessio, ortus, obi-  
tus motusque siderum. In Grammaticis Poëtarum  
pertractatio, historiarum cognitio, verborum inter-  
pretatio, pronuntiandi quidam sonus: in hac deniq;  
ipsa ratione dicendi (oratoriam intelligit) excogita-  
re, ornare, disponere, meminisse, agere, ignota quon-  
dam omnibus & diffusa latè videbantur. Adhibita  
est igitur extrinsecus ars quædam ex alio genere,  
quod sibi totum Philosophi assumunt, quæ rem di-  
uulsam absolutamq; conglutinaret, & ratione qua-  
dã constringeret, & addit tandem: Sit ergo in iure ci-  
li finis hic: **LEGITIMAE ATQVE VSITATAE IN REBUS  
CAUSISQVE CIVIVM ÆQUALITATIS CONSERVATIO.**  
Quod idem est ac si vnico verbo dixisset Iustitia, vt-  
pote vnica domina & moderatrix omnis humanæ æ-  
qualitatis, constans & perpetua, ita vt neq; inflecti  
gratiã, neq; perfringi potentiã, neq; adulterari pecu-  
niã possit, communis quidem iterum legislatori, Iu-  
risconsulto & Magistratui, sed modo planè diuerso,  
si quidem legislator eius ductu Reip. optimas præscri-  
bit leges, Ictus verò legibus scriptis interpretatio-  
nem, sicuti in præcedd. dictum, addit, atq; magistra-  
tus easdem suã jurisdictione iuuat, supplet, & exequi-  
tur. qui si non sit, vtpote qui iura regit & per quem  
effectus rei accipitur, & nihil esse verè ait Pomponi-  
us *in d. l. 2. §. post originem. 13. de orig. jur.* quod jus sit in  
ciuitate. Quodq; si oppressum, vel etiam desertum,  
aut negligentius asseruetur, nihil est, vt iterum Cice-  
ro *pro Cæcinnâ* habet, quare exploratum cuiquam  
possit esse quod alienum sit: Nihil est quod æquabile

81.  
Iustitia do-  
mina om-  
nis huma-  
næ æqua-  
litas.

82.  
Commu-  
nis legisla-  
tori, lcto &  
magistra-  
tui.

83.  
Sine magi-  
stratu ni-  
hil est  
quod jus  
sit in ciui-  
tate.



84.  
Iustitia ju-  
re prior.

inter omnes, atq; vnum omnibus esse posse, nihil n-  
tem est quod quisquam se habere certum, aut à patre  
accepturum aut relicturum liberis arbitretur. Quod  
verò, siue jurisprudentia, quandoq; propter iustitiam  
fit inuentum, eoq; sensu iustitia rectè dicatur iure pri-  
or, non mirum iterum quod Vlpianus *in l. 1. de l. & l.*  
jus à iustitia descendere & appellatum esse dicat, &  
plane non est opus ad eum defendendum cum inter-  
pretibus multa alia comminisci.

85.  
Finis non  
cadit in  
delibera-  
tionem.

Ceterum cum in disciplinis operatricibus finis  
ipse non cadat in deliberationem, sed ea quæ ad fi-  
nem illum adsequendum pertinent Aristot. *3. ad Nic-*  
*omach. 3.*, necessarium quidem est operaturo ante o-

86.  
Ordo siue  
methodus  
practicis  
disciplinis  
commu-  
nis.

omnia de fine constare; præterea verò & media inue-  
niri & ordinare ei conuenit, prout quisq; finem sibi  
propositum habet. Neq; enim, vti nec ex quouis  
ligno fit Mercurius, vnumquodq; medium cuiq; fini  
obtinendo aptum est. Tum verò finis in aliquam  
rem introducendus est. Et in jurisprudentia ideoq;  
vt in quacunq; disciplina operatrice siue practica, i-  
sta tria consideranda veniunt Finis, Subjectum & Me-  
dia, atq; nunc proximè de iustitia vt sine iuris-  
prudentiæ nobis videndum.

DISSER-



53379

ULB Halle 3  
004 835 093  


1017

3 q'ria d'apnara na uirum applicare  
in sup' geneshu











DISSERTATIONVM  
DE IVRISPRVDENTIAE NATV-  
RA ET PRINCIPIIS  
SECUNDA

De munere & officio Iurispru-  
dentiae & Icti, & in quibus illa ab alijs dif-  
ferat, ibidemq; de legum vera & iusta interpre-  
tatione nec non ceteris muneris Icti

partibus

QUAM

*Diuina annuente gratia,*

PRÆSIDE

IOHANNES STVCKIO  
Icto, Academiae Iuliae p. t. Vice-Rectore  
& Facultatis Iuridicae Seniore & Ordinario, nec  
non Serenissimi Brunsvicensium Ducis Consiliario  
& iudicij Guelphici adfessore &c.

*Publicè defendet*

CHRISTIANVS Behrisch / Leu-  
copetrâ-Misnicus,

*Ad 10 diem Aprilis*

IN NOVI IVLEI AVDITORIO MAIORI

HELMAESTADI,

E typographéo LVCII,

Anno clō 15 cXXXIV.

7a

